





CAROLI FRIDERICI HERMANNI,

PROFESSORIS MARBURGENSIS,

QUAESTIONUM OEDIPODEARUM

CAPITA TRIA.







MARBURGI,

SUMTIBUS CHRISTIANI GARTHE. MDCCCXXXVII

Temerarius profecto videar, Vir Excellentissime, qui Tibi, cui Boeckhius Pindarum, Creuzerus Dionysum, Vossius Aristophanem consecraverint, leve munusculum offerre audeam, quod nec mole sua nec pondere quidquam illorum vel longo intervallo aequet; at vero quantum in me esset committere nolui, ut intestatum maneret, quanta Tu humanitate et clementia semper non solum magnos viros debitis honoribus affeceris, verum etiam quemcunque Tibi bonarum artium cultorem aliquod ipsius studium commendasset, praeter omnem exspectationem exceperis, neque in ipso tantum rerum fastigio constitutus splendoris gratia has literas ornaveris, sed in otio quoque et adversa valetudine his Te recreaveris iisque operam vel ipsi philologo non poenitendam impenderis. Vix enim quidquam inveniri poterat, quod in tanta rerum nostrarum invidia hominem antiquarum literarum studiosum magis solaretur, quam quod virum, cui neque a generis nobilitate, neque ab honorum gradu,

neque a rerum gestarum gloria reique publicae felicissima administratione aliquid deesset, ita haec sua studia amplecti videret, ut Tecum non modo ut Maecenate artiumque patrono et fautore de rebus ad rem literariam pertinentibus colloqui, sed tanquam uno ex suis de antiquitatis ingenio atque institutis confabulari virorumque doctorum sententias expendere liceret; qua quo diutius mihi carendum fuit voluptate, eo ardentius desiderabam aliquando certe per literas ita Te appellare, ut simul etiam Tuae in me benignitatis et meae erga Te observantiae et pietatis palam monumentum ederem. Et huic quidem ingenue fateor hoc quod nunc offero munusculum ita tantum satisfacere, ubi recogitem nunc saltem sive per temporis angustias sive per virium mearum tenuitatem majus afferri non licuisse; illa tamen si eadem, quantam olim cognovi, etiam nunc mansit, spero fore ut hoc quoque quidquid est schediasmatum boni aequique consulat; quorum quod nunc primum prodit, inter maximas interpellationes horisque subsecivis festinanter scriptum, argumentum suum vix inchoasse nedum absolvisse dici poterit, neque reliquis duobus, etsi auctiora et emendatiora iterum prodeunt, eam limam adhibere potui, quam aut virorum doctorum, qui in eodem argumento elaborarunt,

auctoritas aut Tui judicii reverentia flagitaret, omnia denique ex eo genere sunt, quod certarum dierum et occasionum finibus adstrictum ita tantum perenne esse possit, ubi statim ab ipsa nativitatis janua non gravem Saturnum sed Jovem benignum atque salutarem aliquem invenerit. Hoc enim sublato, quanto majorem semper operam dedi, ut nullius addictus in verba jurare magistri, quo me cunque ratio ferret, eo potissimum incumberem, tanto magis vereor, ne quam adhuc expertus sum multorum comitatem et benevolentiam, aliquando in contrariam partem abeat; quod licet ita demum recte fieri posse confidam, ubi a moribus meis ipse desciscens et temperantiam et verecundiam deposuerim, quibus nihil mihi magis in omni mea vita propositum fuit, tamen haud scio an ea interdum literarum nostrarum conditio sit, ut non modo si quid novi suspicatus fueris, diuturnum eruditorum consensum laesisse videaris, verum etiam si unius alicujus viri docti sententiam quamvis judicio et ratione sequi recusaveris, ab illius asseclis vanitatis ac temeritatis insimuleris. Verum haec omnia Tu, qua polles harum rerum notitia et usu, ipse optime existimabis; mihi nihil faciendum restat, nisi ut quanto possim ardore vegetam viridemque senectutem Tibi ex animo gra-

tuler Deumque O. M. precer, ut quam diutissime Te et rei publicae et literarum amicis salvum atque incolumen conservet, postremo quidquid nunc votorum animo meo obversatur, his verbis comprehendam: vale, Vir Excellentissime et Generosissime, mihique, quod facis, favere perge!

Scr. Marburgi d. XXVI. Jul. MDCCCXXXVII.



I.

DISPUTATIO

DE

DISCRIMINE ARTIS AC TEMPORIS,

QUO

SOPHOCLES ATQUE EURIPIDES OEDIPI REGIS FABULAM TRACTASSE VIDENTUR;

SCRIPTA

INDICENDIS LECTIONIBUS AESTIVIS

A. MDCCCXXXIV.

[illegible] O. M. precer, ut quam diutissime Te [illegible] [illegible] literarum amicis salvum atque incolum[illegible] [illegible] quidquid nunc votorum animo [illegible] [illegible] comprehendam: vale, Vir Exc[illegible] [illegible]issime, mihique, quod facis, fav[illegible] [illegible]

[illegible] d. xxvi. Jul. MDCCCXXXVII.

[illegible]

[illegible]

SOPHOCLES ATQUE EURIPIDES OEDIPI REGIS FABULAM TRACTASSE VIDENTUR;

[illegible]

INDICENDIS LECTIONIBUS AESTIVIS A. MDCCCXXXIV.

Quum nihil magis convenire videatur praefationis auspicandarum scholarum gratia scribendae consilio ac naturae, quam ut argumentum ejus aliquid commune habeat cum iis, quae in ipsis scholis tractanda Vobis proponantur, nunc quoque redeunte hac scribendi opportunitate aptissimam disserendi materiam praebere visa est Oedipi fabula, quam a summo artifice Sophocle splendidissimis ingenii luminibus excultam exornatamque studiis Vestris satis commendare non possumus. Quamquam quae ad ipsius Oedipi fortunam fataque pertinent, lippis illa atque tonsoribus nota, recoquere nunc nec libet nec opus est; quippe, ut egregie ait Antiphanes comicus apud Athenaeum (l. VI. init.),

μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ', εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι
πρὶν καί τιν' εἰπεῖν, ὥσθ' ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν. Οἰδίπουν γὰρ ἂν μόνον
φῶ, τἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάϊος,
μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες,
τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποίηκε κ. τ. λ.

nec de variis, quas variorum auctorum in manibus induit, historiae Oedipodeae formis vicissitudinibusque post Schützium [1]), Sterkium [2]), Wunderum [3]), disputare in universum animus est; quae vero ad ipsum tragoediae artificium intelligendum ab omnique parte penitus aperiendum atque dignoscendum post doctissimorum virorum conamina [4]) dicenda restant, melius ampliusque ipsis in scholis coram declarabuntur, quam per harum paginarum angustias licet. Unum igitur selegimus locum, qui quum nullius historiae Oedipodeae enarratoris singularem curam expertus sit, tamen omnium maxime ad percipiendam Sophoclei ingenii praestantiam facit: nimirum ut eam formam atque rationem, qua hoc idem argumentum ab aequali Sophoclis artisque aemulo, Euripide, in cognomine fabula olim tractatum sit, quantum ex illius reliquiis fieri possit, paulo accuratius examinemus

1) In excurs. I. ad Aeschyli Sept. c. Theb. p. 372 — 375.

2) Diss. de Labdacidarum historia a tragicis in scena proposita, Lugd. Bat. 1829.

3) Ante editionem Oedipi (Gothae 1832) p. 11 — 14.

4) Praestantissima est et nostra quoque aetate dignissima, quae legatur, Henr. Blümneri disp. de Sophoclis Oedipo Rege, Lips. 1788. 4, ubi eos quoque laudatos invenietis, qui antea in eodem argumento elaborarant. Nostra memoria accesserunt A. G. Schlegelius (Vorles. über dramat. Lit, T. I, p. 176 — 182), A. L. G. Jacobus (Quaestt. Sophocl. Varsav. 1821, p. 316 — 380, G. Thudichum (in progr. Budingensi 1823 et in vers. germanica Darmst. 1827), H. F. W. Hinrichsius (das Wesen der antiken Tragödie in ästhetischen Vorlesungen durchgeführt an den beiden Oedipus des Sophocles etc. Halis 1827), C. J. Hoffmannus (das Nichtvorhandenseyn der Schicksalsidee in der alten Kunst, nachgewiesen am König Oedipus des Sophokles, Berlin 1832, quocum conferri potest et E. J. G. Schmidtii diss. de notione fati in Sophoclis tragoediis et fragmentis expressa, Lips. 1821). Add. diss. angl. in Museo Philol. Cantabrig. T. II: *on the irony of Sophocles*, p. 494 seqq.

cumque nostrae tragoediae indole atque consilio comparemus. Nulla enim re magis spectari atque dijudicare potest complurium artificum solertia, quam sicubi in eadem omnes materia vires suas exercuerunt; quo ex genere ad nos quoque integrae pervenerunt trium tragoediae Graecae principum unius argumenti fabulae, Aeschyli nimirum Choëphorae, Sophoclis et Euripidis Electrae, quibus inter se componendis non pauci viri docti operam suam navarunt [5]), aliarum autem, verbi causa quae ad Philoctetae historiam spectant, ea certe notitia nobis relicta est, ut etiamsi minus de elocutione attamen de uniuscujusque arte in inventione ac dispositione posita judicium facere possimus [6]). Tragici enim poëtae, ut Heynii verbis utamur (in Comm. de Apollodori Bibl. p. XXXII), fabulis pro ornamentis poëticis usi in iis adhibendis id maxime sectati sunt, ut ad consilii rationem, carminis naturam, animi lubitum fabulas tractarent, laudemque in hoc ipso quaererent, si fabulam ingeniose variarent et vulgata novo modo exponerent; — veteres fabulas argumentum carminum ac fundum constituerunt, dramaticae autem poësis naturae consilioque eas ita accommodarunt, ut interdum vix umbra ali-

5) Multos laudat Blümnerus über die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aeschylus p. 83, quibus accedant Nicolaus Lang Nissen (Electra tragoedia Sophoclis cum Choëphoris Aeschyli et Electra Euripidis composita, Havniae 1795. 8), et J. V. Westrik (disp. de Aeschyli Choëphoris deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis, Lugd. Bat. 1826. 8.)

6) Conf. Dion. Chrysost. Orat. LII et Godofr. Hermanni diss. de Aeschyli Philocteta (Lips. 1825) in Opusc. T. III, p. 118 — 129.

qua antiquae narrationis superesset; unde sequitur, ut in existimanda illorum poëtarum arte non singulorum modo locorum ornatus atque convenientia, verum etiam totius actionis institutio, tenor adque certum quendam finem poëticum relatio spectari debeat; cujus quidem universam rationem, perinde ut ex ungue leonis formam collegisse Phidias dicitur, ex pauculis interdum fragmentis conjectura assequi licere, in Aeschyli potissimum tragoediis deperditis recenti celeberrimorum virorum industria comprobatum est. Oedipi vero historiam etsi propter singularem fortunae vicissitudinem, quae non minus ad commovendam miserationem quam ad reprimendum fastum humanum insigniter apta esset, multos poëtas excitare consentaneum erat, qui vel ante Sophoclem argumenti praestantiam intellexerint, vel ipsa illius laude ad aemulationem provocarentur, quales accepimus Aeschylum 7),

7) Cf. Schütz in edit. Aeschyl. T. V, p. 109, Welcker, die Aeschylische Trilogie, p. 358, G. Hermannus de Aeschyli trilogiis Thebanis (Lips. 1835. 4) p. 6 sqq. Unum tantum ejus fabulae fragmentum exstat apud Scholiastam Sophoclis ad v. 733; quaeque praeterea ad eandem refert Droysenius in interpret. German. Aeschyli T. II, p. 227 ex Schol. Oed. Colon. v. 1044 et 1045 ad Cereris arcana spectantia, quibus initiatum a Theseo Oedipum esse censet, non modo in conjectura posita sunt, sed etiam satis levibus argumentis nituntur. Nam etiam si certum esset ea, quae Androtion apud Schol. Hom. Odyss. XI. 271 de Oedipo Cereri supplice narrat, ex Aeschylo petita esse, tamen eodem jure cum Welckero (Trilogie p. 367 et Nachtrag p. 256) ad Phoenissas ipsius traheres, neque opinor Cereris sacra Colonensia cum Eleusiniis confundere licet, a quibus Oedipi memoria semper aliena fuit; ut omittam pompae mysticae descriptionem et initiationis desiderium, quae illis fragmentis continentur, vix dici posse *τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι*, quod Eustratius ad Aristot. Eth. Nicom. III, 2 Aeschylum in commemoranda Cerere in Oedipo quoque commisisse tradit; cf. Lobeck. Aglaoph. p. 78 sqq. Mire etiam Müllerus ad Eumen. p. 173: *auch das Mystische, was in Aeschylus Oedipus vorkam, bezog sich wahrscheinlich auf die Demeter-Erinys, die dort deutlicher hervortreten mochte, als in den Eumeniden.*

Achaeum [8]), Carcinum [9]), Euripidem, Diogenem [10]), Philoclem [11]), Nicomachum [12]), Meletum [13]), Theodectem [14]), Xenoclem [15]) — tamen ex omnium horum fabulis unius Euripideae tot nobis servatae sunt reliquiae, ut formam ejus consiliumque aliquatenus persequi liceat, neque aut Aeschyli, cujus vix unum fragmentum ex tanto naufragio exstat, aut Philoclis, quem ipsi Sophocli palmam praeripuisse Athenienses olim judicaverant [16]), quidquam superest, quo ad comparationem cum Sophoclea fabula instituendam utamur. In uno igitur Euripide nobis consisten-

---

8) Hesych. T. I, p. 181 et 1141 Alb.; cf. Achaei Eretriensis quae supersunt collecta et illustrata a C. L. Urlichs, Bonnae 1834. 8, p. 32.

9) Aristot. Rhetor. III, 16, 11: *ἡ Ἰοκάστη ἡ Καρκίνου ἐν τῷ Οἰδίποδι ἀεὶ ὑπισχνεῖται, πυνθανομένου τοῦ ζητοῦντος τὸν υἱόν.*

10) Suidas p. 1005; Diogen. Laërt. VI, 80.

11) Suidas p. 3795 Gaisf.

12) Suidas p. 2597 Gaisf.

13) Schol. Plat. Clark. apud Bekker. p. 330: *Μέλητος δὲ τραγῳδίας ποιητὴς φαῦλος Θρᾲξ γένος, ὡς Ἀριστοφάνης [Βατράχοις] Πελαργοῖς, Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο, καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν καθῆκεν, ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις.* Cf. Fritzschii Quaestt. Aristoph. T. I, p. 44 sqq. Trilogiam fuisse statuit Welckerus p. 527.

14) Athen. X. 75, p. 451 F.

15) Aelian. Var. Hist. II. 8.

16) Aristid. pro Quatuorv. T. II, p. 334 Dind. *Σοφοκλῆς Φιλοκλέους ἡττᾶτο ἐν Ἀθηναίοις τὸν Οἰδίπουν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί, πρὸς ὃν οὐδ' Αἰσχύλος εἶχε λέξαι τι. Ἆρ' οὖν διὰ τοῦτο χείρων Σοφοκλῆς Φιλοκλέους; αἰσχύνη μὲν οὖν αὐτῷ τοσοῦτον ἀκοῦσαι, ὅτι βελτίων Φιλοκλέους.* Argum. Oedip. Regis: *χαριέντως δὲ τύραννον αὐτὸν ἐπέγραφον, ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως, καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Ceterum acute monet C. J. Grysar de Graecorum tragoedia, qualis fuit circum tempora Demosthenis, Col. 1830. 4, p. 4, Philoclem, Philopithis ex Aeschyli sorore filium (cf. Boeckh de trag. Gr. princip. p. 52) avunculi postumum aliquid produxisse videri; ipsum enim tenebrionem fuisse Suidas satis significat.

dum est [17]), cujus licet singula membra integritati suae restitui nequeant, summa tamen fabulae momenta tam clare apparent, ut utriusque ingenii diversitas facile inde intelligi possit neque minus in hoc argumento tractando, quam in reliquis fere omnibus, Sophocle longe inferior Euripides inveniatur.

Qua in re illud omnium primum nos advertit, quod apud Euripidem non suis ipse manibus oculos sibi eruisse, sed a Laii famulis excaecatus esse Oedipus ferebatur; quo artificio omnis illa magni fortisque animi imago, qua ille apud Sophoclem vel in ipso fortunae discrimine conspicuus est, misere peribat neque admirationem amplius cum horrore mixtam, sed commiserationem tantum movere spectatoribus poterat [18]). Testis est Scholiasta ad Eurip. Phoenissas v. 61: *ἐν δὲ τῷ Οἰδίποδι οἱ Λαΐου θεράποντες ἐτύφλωσαν αὐτόν·*

---

17) Fragmenta ipsa diligenter collegit Aug. Matthiae in editionis suae Vol. IX, p. 233 — 238, unde ea tantum repetimus, quae ad ipsius fabulae artificium cognoscendum aliquid contribuant. Bona pars enim, ut Euripidis mos est, in locis communibus versatur, qui ad unumquodque argumentum pariter conveniant; neque alia causa illius versus esset, quem a Scholiasta ad Soph. Electram v. 188 aliisque grammaticis ac paroemiographis servatum et Euripidi et Oedipo ejus nuper vindicare conatus est Rob. Aug. Ungerus in Theban. rer. spec. Hal. 1835. 8, p. 45:

ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι:

quem etsi Euripidis esse constet — alii Menandro tribuunt — tamen non video cur non ut similes illi apud Valcken. ad Schol. Phoen. v. 406 ad quamcunque aliam fabulam ex deperditis, quae *περιπέτειαν* et insignis fortunae commutationem haberet, referri possit

18) Eleganter hoc exputavit etiam O. F. Gruppius in libro quem inscripsit Ariadne, die tragische Kunst in ihrer Entwickelung, Berl. 1834. 8, p. 589.

Ἡμεῖς δὲ Πολύβου παῖδ' ἐρείσαντες πέδῳ
Ἐξομματοῦμεν καὶ διόλλυμεν κόρας [19]).

Unde simul intelligimus supplicium passum esse antequam atrocissima ejus flagitia patefacta essent, quod probe Sophocles cavit, dum re diutius in utramque partem versata ab eodem demum sene et de crimine et de natalium suorum conditione certiorem fieri Oedipum ipsum fecit; apud Euripidem Laji famuli nonnisi interfectorem domini sui tandem repertum ulcisci videntur; neque enim Polybi filium appellarent, si parricidam Laji matrisque adulterum nossent. Longe igitur aliud utriusque poëtae in describenda actione propositum fuisse merito arbitramur. Et Sophoclem quidem illud sibi voluisse apparet, ut rata esse deorum effata ostenderet, neque summa vitae integritate atque prudentia effici posse, quin si quis suo ingenio fretus ea spreverit eludique posse speraverit, ad extremum subita rerum conversione ruat vimque divinam res humanas regere agnoscat [20]); Euripides autem

---

19) Hoc ipsum facinus in vetere sarcophago sculptum sagaciter intellexit Zannoni, Illustrazione di due urne Etrusche e di alcuni vasi Hamiltoniani, Firenze 1812, p. 1 — 27; cf. Inghirami Monum. Etr. Urne II. 71 et Welckerum in Zimmermann's Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1834, p. 397 et 779.

20) Jacob. l. c. p. 320: »gravi Oedipi exemplo demonstrare civibus voluit, deorum oracula et verissima esse, et sicubi contemta fuerint, homines poenas dare acerbissimas;« quem licet recte monuerit Süvernius (über einige historische und politische Anspielungen in der alten Tragödie, in Comm. Acad. Berol. 1824, p. 22) non semper omnem Sophoclis vim et gravitatem percepisse, dum ad morum emendationem fabulas ejus scriptas censeat, hic tamen prope ad verum accessisse res ipsa docet. Mirum autem est, Welckerum in Censura hujus disputationis in Zimmerm. Zeitschr. l. c. p. 399 quaerere potuisse, quomodo oraculorum fuga in Oedipum conveniat, quem constat hac ipsa de causa Thebas

in tanta fortunae atrocitate nihil aliud spectasse videtur, nisi quod tam saepe in vita humana usu venire cernimus, ut quae diu clam fuerint flagitia, tandem aliquando innotescant poenamque debitam accipiant. Quam ipse prae se tulit hac in fabula sententiam:

— — ὁρῶ γὰρ ἐν χρόνῳ
Δίκην ἅπαντ᾽ ἄγουσαν ἐς φάος βροτοῖς 21).

Primarium igitur fabulae Euripideae argumentum inquisitio de Laji nece erat, quae apud Sophoclem ansam tantum reliquae rei manifestationi praebet; hoc Oedipi crimen erat, cujus ipsius poenas eum luisse modo ostendimus, quum apud Sophoclem jure occidisse Lajum videri possit 22) neque humana sed divina tan-

---

petiisse, ut Corintho relicta ea quae in parentes se commissurum Delphis audierat callide evitaret; cf. Oed. Tyr. v. 790 et 997.

21) Apud Stob. Ecleg. Phys. I. 4. 3, p. 104 Heeren.

22) Vetus enim Rhadamanthyis lex habebatur (apud Apollod. Bibl. II. 4. 9): *ὃς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα, ἀθῷον εἶναι:* unde Oedip. Colon. v. 547:

καὶ γὰρ ἄλους ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα,
νόμῳ δὲ καθαρὸς, ἄϊδρις ἐς τόδ᾽ ἦλθον:

nam quod pro codd. lectione *ἄλλους ἐφόνευσα κἀπώλεσα* Porsonus et Elmslejus proposuerunt *ἄνους*, et literarum ductibus minus respondet neque aliud nisi quod sequens *ἄϊδρις* contineret. Illud modo cavendum est, ne *ἁλοὺς ἐφόνευσα* cum Doederleinio dictum putemus pro *ἑαλὼν φονεύσας*, *aperte atque haud dubie necavi*, quod coactissimum fore patet; multo profecto et apertius et aptius Ellendtius in Lex. Sophocleo T. I, p. 71: *circumventus, necessitate quadam obstrictus, quominus facerem aliter*, quo sensu etiam Erfurdtius conjecerat *ἁλοὺς ἀκούσιον* et Reisigius *ἁλοὺς γε φονεῦσιν*: emendationibus tamen neque his indigemus neque illis quas nuper protulerunt Fröhlichius (krit. Versuche über Sophokles Tragödien, München 1823. 8; H. I, p. 72: *καὶ γὰρ ἀμυνάμενός νιν ἀπώλεσα*) et Gust. Kramerus (ad calcem elogii Jacobi Perizonii, Berol. 1828. 8: *καὶ γὰρ ἂν οὓς ἐφόνευσά μ᾽ ἀπώλεσαν*), quae suo se frigore ipsae conficiunt. Insignis praeterea hanc in rem locus est ibid. v. 992:

tum vindicta ad supplicium petatur; quodque praeclare Sophocles instituerat, ut nullius sibi culpae conscius Oedipus per summam securitatem idem simul quaesitor atque reus esset suaeque turpitudinis aperiendae ipse potissimus auctor existeret, Euripides ita immutavit, ut prudenter ab illo occultatum silentioque pressum id facinus esse fingeret; si quidem hanc ei excusationem tribuit [23]).

Ἐκμαρτυρεῖν γὰρ ἄνδρα τὰς αὑτοῦ τύχας
Εἰς πάντας ἀμαθὲς, τὸ δ' ἐπικρύπτεσθαι σοφόν [24]).

εἴ τις σὲ τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
κτείνοι παραστὰς, πότερα πυνθάνοι' ἂν εἰ
πατήρ σ' ὁ καίνων, ἢ τίνοι' ἂν εὐθέως;

quibus haud scio an non tantum Oedipus Creonti verum etiam ipse Sophocles Euripidi respondeat, qui crimen in Oedipum conjicere conatus erat; nam *ἅμιλλαν* aliquam inter utrumque fuisse, ex Poll. Onom. IV. 111 scite animadvertit Lessingius Leben des Sophokles, Berl. 1790, 8, p. 166, quodque huic opposuit Thudichum in interpr. Germanica p. 275: *gegen Euripides, der sich erweislich in seinen Stücken Anzüglichkeiten gegen seine Vorgänger erlaubte, enthielt er sich einer gleichen Erwiderung*, nullo argumento dictum est.

23) Stob. Serm. CLXIX, T. III, p. 400 Gaisford.

24) Contra haec ita disputat Welckerus l. c. p. 399: *Demungeachtet sträubt sich alles Gefühl gegen die Vorstellung, dafs Oedipus mit Kenntnifs, dafs von seiner Hand der König Theben's umgekommen sey, dessen Weib geheyrathet und gemein verbrecherisch betrogen habe. Da Euripides Unwahrscheinlichkeiten, über welche die frühere Tragödie oft hinwegging, aufzusuchen und zu berücksichtigen pflegt, und da es schon auffällt, dafs Oedipus von einem nicht lange vor seiner Ankunft in Theben vorgefallenen blutigen Streite niemals gesprochen hatte ... so diente, wie es scheint, jene Erklärung gerade dazu, den Argwohn abzulehnen, dafs Oedipus absichtlich geschwiegen habe, um Verdacht von sich entfernt zu halten. That er es nach der Regel, von eigenen Ungelegenheiten überhaupt nicht zu reden, so war ohne seine Schuld die Spur verborgen geblieben, was Sophokles nicht einmal nöthig hielt zu motiviren. Von Unfällen (τύχαις) und von Bildung und Klugheit spricht er, nicht von Unrecht und Schuld. Einem Fremden im Streite das Leben zu nehmen, konnte wohl auch Euripides nicht als ein sittliches*

Quibus autem illud vel artibus vel casibus invito Oedipo tamen patefactum fuerit, in tanta vestigiorum penuria propius definire vix possumus; nam si ab uno discesseris quod ad narrationem de Sphinge pertinet [25]), inter omnia quae exstant fragmenta nul-

Vergehen darstellen und zugleich eine barbarische Rache alter Zeiten einführen. Eine Familie oder eine Stadt waren verlezt und hatten Genugthuung zu fodern. Erst als es an den Tag kam, dafs der von Oedipus Erschlagene der König Theben's gewesen sey, ward dieser strafbar, nicht überhaupt, sondern den Angehörigen des Laïos. Dessen Tod rächt Dike noch spät, die alle verborgenen Thaten an das Licht bringt; und das alte Strafrecht prüft und unterscheidet nicht immer genau. Dafs Oedipus unbewufst den König der Kadmeer getödtet hatte, kommt nicht in Anschlag. Einen Gegensatz zwischen beiden Dichtern hinsichtlich der göttlichen und menschlichen Ahndung können wir daher nicht annehmen; denn auch bei Sophokles mufs Oedipus sein Unglück büfsen; er kommt nur allem Harten, was er von Seite der Stadt hätte erfahren können, durch die äufserste Härte gegen sich selbst zuvor. At hoc, opinor, ipsius Oedipi verbis refutari potest, qui etiam postquam oculos sibi effodit, et ea metuit, quae inscius sibi ipse antea imprecatus fuerat (v. 1382) et sententiam divinitus de se latam (v. 100) ratam haberi cupit (v. 1444); horum tamen utrumque ad vindictam divinam pertinet, humanae apud Sophoclem adeo nullum vestigium exstat, ut ne cupienti quidem sibi supplicium irrogatum esse postmodo queratur (Oed. Col. v. 430 seqq.), quantumque Welckerus laboret, illud saltem ipse concedat oportet, apud Euripidem sive publice sive a propinquis Laji poenam sumi de eo facinore, quod Sophocles identidem humanis legibus puniendum esse negat; quod ut injuste Creon instituerit, in eo certe Euripides Sophocle deterior fuerit, quod Oedipum non sua ipsius opera sed aliena invidia reum agi diuque occultatae rei confessionem quasi invito extorqueri fecit. Quanquam vix nobis persuademus Oedipum Euripideum adeo innocentem ut Sophocleum apparuisse; quem licet concedamus tum quum Iocasten duceret, regis a se occisi viduam ignorasse, tamen verisimile est, si eodem quo poëta suus acumine pollebat, mox domesticis argumentis funestam matrimonii sui conditionem intellexisse eamque, quum infecta reddi non posset, prudenti silentio pressisse, quo *τύχης* vocabulum commode referri posse patet; utque huic ipsi conjecturae non plus quam par est tribuamus, etiam si ipsam caedem *τύχην* appellari statuamus, semper aliquid apud Euripidem cum ea conjunctum fuisse apparet, quod ad hominum aures Oedipus pervenire nollet; nam si rem cum Welckero ad heroici aevi mores exigimus, non modo non tacere, verum etiam gloriari de eo facinore debebat.

25) Apud Aelian. Hist. Anim. XII, 7. 3: *οὐρὰν δ' ὑπίλασ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν καθίζετο*: quod suum in usum convertit Athenaeus XV, 71, p. 701 B.

lum est, quod cum aliqua probabilitate ad expositionem fabulae referri liceat; neque e reliquis quae exitum magis spectant quidquam lucramur, nisi quod invidiam sibi et marito perniciosam fuisse Iocasta queri videtur:

Φθόνος δ' ὁ πολλῶν φρένα διαφθείρων βροτῶν
Ἀπώλεσ' αὐτὸν κἀμὲ συνδιώλεσεν [26]).

Unde facilis quidem conjectura est, Laji propinquos inque primis Creontem illud effecisse, quibus solis invidiae causa adversus Oedipum esse poterat, sed nec repetendae post tantum annorum spatium quaestionis de regis caede, neque Oedipi potissimum arguendi quas causas quamve occasionem habuerint, indagare possumus, nisi iisdem quibus Sophoclem artificiis, pestilentia nimirum vel aliqua calamitate divinitus immissa veterisque Laji comitis testimonio, Euripidem quoque usum esse statuimus. Atque de calamitate publica Hyginus mythographus [27]) fidem facit, quem constat plurima fabularum suarum argumenta ex Euripidis tragoediis desumsisse; qui licet in iis, quae ad exitum fabulae Oedipique caecitatem pertinent, Sophoclem potius secutus esse videatur [28]), habet tamen nonnulla, quae quum Sophoclis non sint, ad neminem melius quam ad Euripidem referri possint. Quorum

26) Stob. Serm. XXXVIII. 9, T. II, p. 59 Gaisford.

27) Fab. LXVII.

28) Blümnerus l. c. p. 4: »*Follardus* quidem Francogallus integrum ejus fabulae argumentum in Hygino sibi visus est invenisse: — hujus tamen fabellae argumentum ex Euripidis dramate petitum esse non putaverim, quum Hyginus Oedipum se ipsum luminibus privasse diserte docent.«

unum est, quod non pestilentiam Thebis sed sterilitatem frugum et penuriam incidisse ob Oedipi scelera narrat, alterum quod interrogatum Tiresiam, quid ita Thebae vexarentur, respondisse ait, si quis ex Draconteo genere superesset et pro patria interisset, pestilentia liberaturum: quo facto Menoeceum Creontis et Iocastae patrem se de muris praecipitasse [29]. Prorsus hoc Euripidis morem atque ingenium redolet, qui simili modo in Phoenissis cognominem aliquem Creontis filium, in Heraclidis Macariam Herculis filiam, in Troadibus Astyanactem de muris praecipitavit, pessimo ubivis exemplo magisque ad praesentem miserationem atque horrorem quam ad prudentem sanamque fabulae descriptionem accommodato; ètsi nullo argumento alienius esse poterat quam nostro, ubi ineptissimum erat innocentem pro noxio commissae caedis piaculum fieri; nisi ideo hoc Euripides instituerat, ne mox aperto flagitio mori Oedipum contra vulgarem rei famam, sed oculis tantum privari necesse esset. Forsitan etiam amisso patre acrior ad investigandum caedis auctorem Creon factus est;

29) Idem et fab. CCXLII refert, etsi ridiculo cum errore: »Menicus (l. Menoeceus) Iocastes pater se de muro praecipitavit Athenis propter pestilentiam«; quod enim nunc *pestilentiam* in causa fuisse tradit, ubi illic *sterilitatem* perhibuerat, recte Welckerus l. c. p. 398 *λοιμὸν* et *λιμὸν* saepissime et conjungi et permutari inter se monet; cf. Thucyd. II. 54 et Mützell. de emend. theog. Hesiod. p. 188. Etiam Schol. Soph. Antig. v. 1303 meminit Menoecei Creontis patris, qui se ipse interfecerit, perperam intellectus ab Hermanno et Wexio (Prolegg. p. 41). Hunc ipsum scholiastam avum et nepotem propter nominum similitudinem inter se confudisse facile largiar; siquidem eum sive Megareum sive Menoeceum, qui in Antigones loco commemoratur, eundem esse vult, cujus in Oedipo Rege nomen aliquoties legitur, hoc est patrem Creontis, quum poetae verba utique ad filium potius pertineant.

sed quomodo tandem Oedipi culpa apparuerit, neque Hyginus docet neque conjectura quidquam amplius assequi possumus, quam quod in propatulo est, ut per eosdem Laji comites famulosque factum sit, quos poenam ab eo sumsisse supra cognovimus.

Neque tamen hisce finibus circumscribere nos Euripidis fabulam vel Hygini, quantulacunque sit, auctoritas, vel argumenti natura, vel fragmentorum, quae adhuc restant, multitudo patitur. Hyginus enim, ut hoc primum utamur, in ipso quoque fabulae exitu, licet in Oedipi casu describendo a Sophocle pendere videatur, illa tamen peculiaria habet, quod et senem illum, cui parvulus olim Oedipus exponendus traditus fuerat, quique jam ex pedum tumore et cicatricibus talorum Laji filium esse agnovit, nomine appellat Itemalem [30]), cujus apud Sophoclem vestigium nullum,

---

30) Nomen corruptum Welckerus p. 401 in *Ἡγέμαλον* mutandum censet, ut significet *pecoris ducem* ab eo quod est *μῆλον*, haud absurde, siquidem pastorem fuisse constat ex Oed. Tyr. v. 1118, atque omnino omnium eorum nomina, qui aliquam Oedipi pueri curam gesserunt, ab hoc vitae genere desumta videmus; quam in rem non possum quin transcribam Panofkae verba ex Annalibus Inst. Archaeol. T. VII, p. 79, ubi in describendo vasculo picto, quod pastori Sicyonio Oedipum puerulum ad Polybum regem deferenti nomen *Εὔφορβος* adscriptum exhibet, postquam hunc eundem esse monuit, quem *Phorbantem* i. e. *nutritorem* appellet Seneca in Oedipo v. 853, ita pergit: *L'idée du pasteur, qui paraît avoir donné lieu au nom Εὔφορβος pour l'homme, qui porte Oedipe dans ses bras, se retrouve dans plusieurs autres personnages, qui ont eu soin de l'éducation du prince thébain; ainsi Suidas appelle* ***Meloibos*** *le paysan, qui emporta Oedipe du mont Cithéron et se chargea de son éducation: le roi de Corinthe qui adopte Oedipe pour fils, portait le nom de* ***Polybos****, et son épouse, à la quelle Oedipe doit son salut, s'appelait* ***Periboea****.* Apud Sophoclem tamen horum nominum praeter Polybum nullum legitur, quamque alii Periboeam, ipse *Meropen* appellat (v. 981), quod nomen, plurimis fabulis commune, peculiarem significatum nullum habet; cf. Welcker's aeschyl. Trilogie p. 555 et Schwenck's mythologische Skizzen p. 18: *Der Name der Merope findet sich auch in andern Fabeln, ohne dafs wir eine*

neque a nuncio aliquo, ut apud Sophoclem est, sed ab ipsa Periboea Polybi regis uxore Oedipi suppositionem palam factam refert, quod veri simillimum est ab Euripide eum sumsisse, quem nullam facile occasionem neglexisse novimus, qua novas insignium hominum personas easque quam maxime grandaevas vel peregre advenientes in scenam produceret; licet inter fragmenta nullum sit, quod illi cum aliqua probabilitate tribui possit. Sed et rei ipsius natura credere nos vetat Euripidem, qui miro cum studio atrocissima quaeque ad percellendos spectatorum animos captaret, funestissimi argumenti fecunditatem adeo sprevisse, ejus praesertim, quod spectatoribus ita notum esset, ut nisi omnia flagitia cum pulvisculo exhaurirentur, praereptum aliquid sibi et interceptum questuros esse exspectare posset. Quid igitur? Num post excisos sibi oculos multa praeterea in scena egisse Oedipum dicamus? Minime vero; sed quod in Hecuba, in Hercule furente, aliisque tragoediis Euripidem sibi indulsisse novimus, idem hoc quoque in argumento fecisse videtur, ut duas actiones una eademque fabula comprehenderet et, postquam Oedipi facinus patefactum atque punitum esset, jam Iocastae quoque crimen, quo olim infantem Oedipum exponendum dederat, per Periboeam et Itemalem aperiret [31]); quo facto vera

---

specielle Auslegung anwenden können, da wir eine andere Bedeutung von ihm nicht wissen als etwa Menschenkind.

31) Hoc quoque male habuit Welckerum, qui p. 401 ita sententiam meam impugnat: *Nun ist zu verwundern, daſs der Verfasser, so kundig der griechischen Alterthümer, auch die Aussetzung*

utriusque necessitudo sponte apparebat neque quidquam ad consuetam exitus atrocitatem desiderari poterat. Iocastae igitur hoc

---

des Kindes als ein Verbrechen behandelt. Wenn in geschichtlicher Zeit Theben sich durch das Gesetz in dieser Hinsicht vor andern griechischen Staaten auszeichnete, so ist davon doch in der alten Sage keine Spur, und man durfte darum in Athen gewifs unterlassen darauf Rücksicht zu nehmen, da sonst fast allgemein das Recht sein Kind nicht aufzuziehen unbestritten war, womit es, wie mit vielen andern Rechten und Gebräuchen des älteren Griechenlands, dienlich ist J. Grimm's deutsche Rechtsalterthümer zu vergleichen. Diese angenommene Schuld der Iocaste, als Gegenstand eines besondern Processes nachgelassen, so hebt sich auch von selbst der Tadel, dafs diese Tragödie, gleich der Hekabe, dem Rasenden Herakles und andern eine zwiefache Handlung gehabt habe; vielmehr entwickelt sich nur nach und nach, aber in Zusammenhang und Einheit, was bei Sophokles künstlicher in einander geschlungen wie von einem Puncte aus sich auflöst, das Verhängnifs des Oedipus. Recens natos liberos exponere parentibus apud plerasque Graeciae gentes licuisse nota res est, cf. Wichmann de more Graecorum infantes exponendi, Wittenb. 1753. 4 et Wachsmuth's Hellen. Alterthumskunde T. II, P. 1, p. 157; fuisse tamen etiam quibus hoc minus probaretur, non modo Thebanorum exemplum ostendit, quod ipse Welckerus innuit, apud Aelian. Var. Hist. II. 7: *νόμος οὗτος Θηβαϊκὸς, ὀρθῶς ἅμα καὶ φιλανθρώπως κείμενος ἐν τοῖς μάλιστα, ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον οὐδὲ εἰς ἐρημίαν αὐτὸ ῥῖψαι, θάνατον αὐτοῦ καταψηφισάμενος*, verum etiam suspicere licet ex Plutarchi verbis quamvis fine carentibus de amore prolis c. 5: *ἡ φύσις ἐν αὐτοῖς τοῖς ἡμαρτημένοις ἤθεσι καὶ πάθεσιν ἐμφαίνει τὸ πρὸς τὰ ἔγγονα φιλόστοργον*: utque concedam in spuriis et feminis vel in magna rei familiaris tenuitate impune habitum esse (cf. P. Petiti Miscell. Obss. III. 16, p. 184), regibus profecto, quibus post diuturnam sterilitatem unicus filius ad propagandam stirpem natus esset, vel illud solum jure meritoque in crimen verti poterat. Verum enim vero quod Iocastae crimen effecisse dixi, ne in his quidem consistit, sed in iis potissimum cernitur, quae eam ad exponendum infantem moverunt; sive enim ipsum filium injussu dei conceptum spectamus, sive temeritatem, qua exposito illo deorum effata irrita fieri posse speraverat, non minorem quam Oedipus culpam in se commiserat; quod si totius fabulae actionem inde pependisse statuimus, ut Thebani malorum, quibus conflictabantur, auctores quaesierint, simulac totius rei nexus patefactus esset, satis causae erat, quapropter et ipsi vel intemperantiam vel impietatem exprobrarent. Quod autem Oedipum post excisos oculos multa praeterea egisse negavi, non eam vim habet, quam Welckerus p. 404 suggerit, ut eum non amplius in scena versatum esse arbitrer, sed ut actionis partes primarias, quas ille eousque sustinuisset, in Iocasten transiisse statuam; sermones Oedipum cum uxore conseruisse ne ea quidem quae supersunt fragmenta dubitare nos patiuntur, nec repugno, quominus vasculum pictum, quod ille in Zimmermanni Zeitschr. 1834,

quoque tribuimus fragmentum, quo culpam expositionis a se amoliri inque mariti imperium ac voluntatem referre videtur:

Πᾶσα γὰρ δούλη πέφυκεν ἀνδρὸς ἡ σώφρων γυνή,
Ἡ δὲ μὴ σώφρων ἀνοίᾳ τὸν ξυνόνθ᾽ ὑπερφρονεῖ [32]:

neque quod eodem fere sensu, quamquam tacito fabulae nomine, ex Euripide servavit Clemens Alexandrinus [33]), ab ejus persona partibusque alienum esse videtur:

Εὐλογεῖν δ᾽ ὅταν τι λέξῃ, χρὴ δοκεῖν, κἂν μὴ λέγῃ,
Κἀκπονεῖν ἂν τῷ ξυνόντι πρὸς χάριν μέλλῃ λέγειν,

quibus ille verbis *φίλανδρον*, inquit, *μετὰ σεμνότητος ὑπογράφει Εὐριπίδης παραινῶν.* Difficilior quaestio est de reliquis, quae ibidem ex eo Clemens laudat; quae licet eodem metro conscripta sint pariterque probae uxoris officium describant, ad Iocastam ita tantum referri poterunt, ut non de Lajo sed de Oedipo marito eam loqui statuamus:

Ἡδὺ δ᾽ ἂν κακόν τι πράξῃ, συσκυθρωπάζειν πόσει
Ἄλοχον, ἐν κοινῷ τε λύπης ἡδονῆς τ᾽ ἔχειν μέρος·

No. 97 solita cum elegantia descripsit, ex Euripidis sententia cum Iocaste et Creonte confabulantem exhibere statuamus; quid tamen inde ad reliquam fabulae dispositionem existimandam lucremur, non intelligo.

32) Stob. Serm. LXIX, T. III, p. 34.

33) Stromatt. IV, p. 524. Inter incertarum fabularum fragmenta retulit Matthiae No. CLI, p. 598; nostrum tamen judicium Welckerus quoque p. 399 et 781 assensu suo confirmavit, praetereaque haud spernendum argumentum attulit, quod Clemens in eodem libro p. 499 duos locos, quos ad Oedipum pertinere ex Stobaeo constet, pariter sine fabulae nomine laudaverit.

quaeque, ut ait Clemens, *τὸ πρᾶον καὶ φιλόστοργον ὑποδεικνύων κἀν ταῖς συμφοραῖς ἐπιφέρει:*

Σοὶ δ' ἔγωγε καὶ νοσοῦντι συννοσοῦσ' ἀνέξομαι
Καὶ κακῶν τῶν σῶν συνοίσω κοὐδέν ἐστί μοι πικρόν.

Sunt haec uxoris, quae se marito infelici comitem consortemque malorum pollicetur; satis quidem universe dicta, ut Euripides assolet, quae tamen eo majore cum probabilitate ad fabulam nostram trahere nobis videmur, quod partem illius mali in formae aliqua deturpatione positam fuisse ex iis quae sequuntur apud Clementem colligimus:

Οὐδεμίαν ὤνησε κάλλος εἰς πόσιν ξυνάορον,
Ἀρετὴ δ' ὤνησε πολλάς· πᾶσα γὰρ ἀγαθὴ γυνὴ,
Ἥ τις ἀνδρὶ συντέτηκε, σωφρονεῖν ἐπίσταται.
Πρῶτα μέν γε τοῦθ' ὑπάρχει· κἂν ἄμορφος ᾖ πόσις,
Χρὴ δοκεῖν εὔμορφον εἶναι τῇ γε νοῦν κεκτημένῃ·
Οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνόν ἐστιν, ἀλλὰ νοῦς [τάδε].

Quod enim Valckenarius[34]) matrem familias haec locutam esse arbitratur, quae consilia novae nuptae daret, Clementis verba perperam intellexit, quodque ille de Tragoedia dixerat: *εἶτα οἷον παραινέσεις διδοῦσα φησί,* ad ipsius fabulae personam retulit. Accedit, quod ejusdem sententiae fragmentum sub ipso Oedipi nomine apud Stobaeum servatum est:

34) Diatr. in Eurip. Fragm. p. 244 C.

Νοῦν χρὴ θεάσασθαι· οὐδέν τι τῆς εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ [35]),

qui versus etsi iambicum potius quam trochaïcum numerum referunt ideoque ad aliam scenam pertinere videntur [36]), tamen non sine veri similitudine et ipsi ad posteriorem fabulae partem trahi nec viro alicui sed Iocastae tribui poterunt, quam conjicimus illic Creonti aliisque necessariis restitisse, qui eam ab Oedipi consuetudine deterrere atque abducere studerent. Aliud etiam fragmentum apud Stobaeum [37]) exstat, quod Oedipo tribui possit deprecanti, ne ab uxoris liberorumque fructu abstrahatur [38]):

---

35) Stob. Serm. LXVI, T. II, p. 500 Gaisford.

36) Gaisfordus scripsit *θεᾶσθ' οὐδέν τι κ. τ. λ.*, sed ut ipse etiam magis probet, quod et Welckero et Dindorfio placuisse video:

νοῦν χρὴ θεάσασθαι· τί τῆς εὐμορφίας —

ad sensum recte, nisi numeri aures offenderent, quibus profecto melius consuletur, si scripserimus:

νοῦν χρὴ θεᾶσθαι κοὐδέν ἐστ' εὐμορφίας κ. τ. λ.

Ceterum Welckerus p. 400 cum his conjuncta fuisse censet, quae Stobaeus in Ecl. phys. T. I, p. 270 ex nostra fabula servavit:

ἑνὸς δ' ἔρωτος ὄντος οὐ μί' ἡδονή·
οἱ μὲν κακῶν ἐρῶσιν, οἱ δὲ τῶν καλῶν·
ὁ δ' ἐς τὸ σῶφρον ἐπ' ἀρετήν τ' ἄγων ἔρως
ζηλωτὸς ἀνθρώποισιν, ὧν εἴην ἐγώ:

quantum in tanta locorum communium ambiguitate judicare licet, haud improbabiliter; ut Iocaste amorem suum conjugalem non turpibus cupiditatibus sed sanctimonia et honestate contineri affirmet.

37) Serm. LXVII. 1; T. III, p. 3 Gaisford. Mutilum locum esse apparet, quare de lectione ultimi versus nihil certi constitui potest. In penultimo tamen fidenter reposuimus *μόνον* pro *μόνων*, quod nihili erat.

38) Quaerit Welckerus p. 404, quem in finem post cruentam vindictam uxore quoque privari potuisse Oedipum statuamus; at num consentaneum erat illum amplius vivere cum muliere, cujus priorem maritum ipsius manu occisum esse apparuisset? Neque hoc minimum fuisse arbitror inter

Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ, τέκνα καὶ γυνή·
Ἴσην γὰρ ἀνδρὶ συμφορὰν εἶναι λέγω
Τέκνων θ' ἁμαρτεῖν καὶ πάτρας καὶ χρημάτων
Ἀλόχου τε κεδνῆς· ὡς μόνον τῶν χρημάτων
Ἢ κρεῖσσόν ἐστι τἀνδρὶ, σώφρον' ἂν λάβῃ.

Tali nimirum artificio opus erat Euripidi, quo et utramque fabulae partem leniter dextreque inter se conjungeret, et vero exitus atrocitatem, quam praepropero illo Oedipi supplicio valde minui infringique vidimus, per inexspectatam matrimonii ruptionem, quod unicum ille sibi solatium relictum putasset, aliquatenus restitueret atque augeret, quantoque praeclarius modo Iocastae ingenium verbis exornasset, tanto eam detestabiliorem mox omni flagitio aperto re ipsa spectatoribus ostenderet. Neque enim intelligi posset, quomodo Euripides, quem acerrimo odio muliebre genus omne persecutum esse constat [39]), Iocastam potissimum, quae tantam verae reprehensionis materiam praeberet, ut probissimae feminae exemplar proposuisset, nisi eum fabulae exitum destinasset, quo omnis illa verborum jactantia in mendacium et vanitatem verteretur: eamque revera ejus mentem fuisse testan-

ea, quae merito Iocastae exprobrarentur, quod praesentis potius matrimonii dulcedinem retinere quam pristini memoriam vel in ipso marito ulcisci mallet, cujus irreverentiae justas mox poenas luit, quum eam sibi cum Oedipo necessitudinem intercedere appareat, ut ne sic quidem amplius illius consuetudine uti possit.

39) Cf. Gell. XV. 20 et intpp. ad Aristoph. Lysistr. v. 283 et 368. Laudatur et Lenzii dissertatio in Nova bibliotheca elegantiorum literarum T. LVIII, p. 195 — 215.

tur anapaesti, quibus finem fabulae factum esse probabiliter, ut nobis videmur, conjicimus:

Πᾶσα γὰρ ἀνδρὸς κακίων ἄλοχος
Κἂν ὁ κάκιστος
Γήμῃ τὴν εὐδοκιμοῦσαν [40]),

unde vel in tanta fragmentorum paucitate sententiam consiliumque poëtae satis clare apparere putamus. Unum praeterea restat, licet incertae sedis, apud Stobaeum hoc:

Ἄλλως τε πάντων δυσμαχώτατον γυνή [41]),

quo et ipso aliqua culpae pars ad Iocastae instigationes transferri videtur; vixque dubitamus, quin praecipua utriusque poëtae in hoc argumento tractando diversitas in Iocastae persona posita fuerit. Cujus quam sapienter Sophocles partes descripserit, ipsi legendo optime cognoscetis; qui quum intellexisset adeo similem sibi utriusque conjugis fortunam esse, ut facile dividi inque diversas partes distrahi spectatorum et benevolentia et commiseratio posset, Iocastam non amplius in scenam produxit, quam necessarium esset ad rei manifestationem ipsius imprudentia ac temeritate properandam, prius tamen quam ipsa flagitia palam facta essent, tanta cum celeritate abreptam leto voluntario condidit, ut simul et culpam ejus et supplicium spectatores cognoscerent. De Euripide contra dubitari potest, num omnino mori

40) Stob. Serm. LXXIII. 28, T. III, p. 56; cf. Clem. Alex. l. c. p. 499.
41) Ibid. LXXIII. 8, T. III, p. 52 Gaisford.

eam post tantum dedecus finxerit; in Phoenissis certe vivam vigentemque inter ipsa turpitudinis suae monumenta proposuit, quam rem jam veteribus *ἐνστατικοῖς* offensioni fuisse legimus [42]); sed etiam si digniorem ei exitum nostra in fabula tribuerit, facile tamen apparet multo minorem ejus atrocitatem post tantam loquacitatem esse debuisse, quam quae apud Sophoclem disertae illi taciturnitati (v. 1068) inest, neque diremtis utriusque casibus eam commiserationis vim in Oedipi capite convenire potuisse, quae illic vel ex ipsius Iocastae funere in unum illum redundet [43]).

---

42) Schol. Eurip. Phoen. v. 61: *πῶς δὲ, φησὶν, Ἰοκάστη μετὰ τοσαῦτα δυστυχήματα ἔζη; ῥητέον, ὅτι πᾶσα γυνὴ πρὸς θάνατον δειλοτέρα μὲν ἀνδρὸς κ. τ. λ.*, quae verba satis mirari nequeo Welckerum p. 403 et 781 ad nescio quem chori sermonem retulisse, quum manifesto grammatici alicujus *λύσιν* contineant, qua *πρόβλημα*, quod ipse sibi objecisset, solvere conaretur; cf. Lehrs in Jahn's Jahrbb. für Philologie 1830, T. XII, p. 105 sqq.

43) Quae hic disputavimus in conjectura posita esse facile confitemur; Welckeri tamen argumentis ne nunc quidem deterreemur, quo minus ea, qualia ante triennium scripsimus, doctorum existimationi iterum subjiciamus; qui quum praeter scholiastae verba, quae perperam intellecta esse modo monuimus, nihil extrinsecus ad ea refutanda attulerit, conjecturam tantum conjecturae opposuit, quarum utram reliquiis fabulae et poëtae ingenio magis convenire existiment, lectoribus dijudicandum relinquo. Vult enim Euripidem quoque de Iocaste ita judicasse, ut vel Oedipum vel ipsum de se existimantem videmus (p. 404: *dafs sie nicht schlecht war, dürfen wir sicher dem Oedipus selbst glauben, welcher Weib und Kinder ein grofses Fürstenthum nennt, sie über Thron und alle Güter sezt, und doch offenbar sie, von der er sich trennen soll, als ἄλοχον κεδνήν, σώφρονα preist*; et p. 408: *der Charakter der Iokaste ist durch die zwei ihr unzweifelhaft angehörigen Verse festgestellt, und nichts, das mit Grund zu vermuthen wäre, hindert uns sie für eine gute brave Frau zu halten*) nihilque magis poëtae propositum fuisse putat, quam ut fortunae atrocitati teneri et sancti amoris conjugalis imaginem immisceret (p. 404: *nach diesem Zusammenhange des Ganzen tritt aus all den schrecklichen Schicksalen auf bewunderungswerthe Art das Bild eines zärtlichen, tugendhaften, im Unglück fest an einander haltenden und darum um so rührender getrennten königlichen Ehepaares hervor, wie denn Euripides das Heroische und Königliche im Häuslichen untergehen zu lassen oder damit zu verschmelzen geneigt ist*), quae

His, quatenus per reliquiarum exiguitatem licebat, expositis, restat ut breviter de causis magni illius discriminis quaeramus. Quarum quidem praecipua in utriusque ingenii diversitate posita esse videtur, quae et qualis fuerit et quanta, adeo inter omnes constat ipsisque eorum operibus proditur, ut ne verbo quidem amplius ad eam demonstrandam opus sit; attamen non minimam etiam inde repetendam esse arbitramur, quod Euripides plurima atque optima, quibus hoc argumentum exornari tractarique ad usum scenicum posset, quum a ceteris, quos in eodem elaborasse supra docuimus, tum ab ipso Sophocle praerepta et occupata invenerat, quo fiebat, ut si propriam inde sibi laudem parare

---

autem chorus ita loqui videtur, ut Iocasten etiam detestabiliorem Oedipo declaret, ita amoliri studet, ut multa in populo jactari ultro citroque dicat, quorum aliud alio tollatur (p. 403: *jene Aeusserung des Chores könnte ja durch zehn andere wieder aufgehoben und gut gemacht werden seyn, da im Chore die Menge viel hin und her redet; hier mag er wohl aus Thebischen Bürgermännern bestanden haben*). Nos vero et choro vel apud Euripidem eam auctoritatem tribuimus, ut eum potissimum poëtae sententiam enunciare statuamus, neque si talis mulier, qualem Welckerus existimat, Iocaste fuisset, intelligimus quo pacto vel unus de populo tam grave judicium de ea ferre potuisset; amorem conjugalem autem tantum abest ut ad reliquam morum integritatem comprobandam sufficere credamus, ut mulierem, quae cum Iocaste sentiat, facillime etiam in criminis consortium a marito trahi posse arbitremur, ac licet ipsi satis significaverimus consulto illam mutuae caritatis imaginem ab Euripide interpositam esse, ut comperta vera utriusque necessitudine exitus atrocitatem augeret, summum tamen fabulae acumen in hoc artificio cernere non possumus, cujus vim una cum ipsa rerum conversione exhauriri necesse esset; quod denique Welckerus eam poëtae verecundiam tribuit, ut Iocasten post patefacta flagitia non amplius comparuisse statuat (p. 404: *wir trauen ihm die Scheu zu, dafs er Iokasten, die auch jetzo, wie aus den Phoenissen zu schliefsen, sich das Leben nicht nahm, nach der Auflösung nicht wieder sichtbar werden liefs, obgleich wir nicht annehmen, dafs ein Vorwurf wegen der Aussetzung oder überhaupt etwas Schmachvolles auf ihr lastete*), haud scio an honorificentius sentiat de Euripide, quem constat more sui temporis turpitudinem multo melius verbis quam silentio occultari censuisse.

vellet, nova atque inaudita potius quam sana et apta imperito populo exhibenda esse videret; quae quidem res omnino plerisque ejus fabulis, ut olim incommodo fuit, nunc excusationi esse debet. Sophoclis autem Oedipum Tyrannum Euripideam ejusdem argumenti fabulam aetate antecessisse, licet neutrius actae tempus certis antiquorum auctorum testimoniis proditum sit, satis tamen probabiliter demonstrari posse speramus. Et Euripideam quidem vix ante Olymp. LXXXIX vel XC scribi potuisse ex metrica fragmentorum conditione colligimus, quam illa ipsa aetate insigniter depravatam esse constat [44]), cujusque vestigia quum in plerisque Euripidis fabulis, tum in Sophoclis quoque Philoctetа, quae Ol. XCII. 3 edita est, deprehendimus; Oedipus autem, quam habemus, adeo illis caret, ut jam eam ob causam temere egisse Musgravius videatur, qui v. 883 Alcibiadem ejusque exsilium spectari censuit [45]). Quod si vere ille monuisset, ante Ol. XCI. 2 scribi non potuisset; sed re accuratius examinata illa ipsa verba adeo universe dicta esse apparet, ut in quemlibet alium pariter trahi possint; eoque magis hunc Musgravii errorem miramur, quo sagacius idem ad v. 25 intellexit, descriptionem pestis, qua Thebas vastari Sophocles finxit, celebrem illam Atheniensium calamitatem (Thuc. II, 49) poëtae suggessisse. Multo propius ad

44) Cf. G. Hermanni Opuscc. T. I, p. 135 et praef. Eurip. Suppl. p. IV.

45) Chronol. scen. p. 9, cf. G. Hermannus in edit. III. ad v. 873, ubi Sophoclem, quum hanc fabulam scriberet, octogenarium fuisse suspicatur.

veram temporis notationem. Boeckhius accessit [46]), qui paulo post Ol. LXXXVII. 1 editam censet; licet non admodum firmo argumento usus esse videri possit, praesertim postquam nuperrime Welckerus grammaticam illam Calliae tragoediam, unde tota Boeckhii ratiocinatio pendet, ad Euclidis archontis aetatem deprimere, quaeque inde vel Euripides in Medea vel Sophocles in Oedipo Tyranno desumsisse dicuntur, inter recentiorum comicorum cavillationes referre conatus est [47]). Mira enim narrat Clearchus apud Athenaeum [48]), Καλλίαν τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν, ἀφ' ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μηδείᾳ καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν, id quod alio loco [49]), allato fabulae nostrae v. 332, ita explicat: ὥστε τὸν Εὐριπίδην ὑπονοεῖσθαι τὴν Μήδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν — τὸν δὲ Σοφοκλέα διελεῖν φασὶν ἀποτολμῆσαι τὸ ποίημα τῷ μέτρῳ τοῦτ' ἀκούσαντα: unde Boeckhius conjecit, non multo post Euripidis Medeam, quam Ol. LXXXVII. 1 scenae commissam esse constat, Sophoclem Oedipum suam edidisse; sed missis adeo Welckeri argumentis vel illud dubitationem facit, quod is ipse apostrophi usus in fine versus positi, quem a Callia acceptum in Oedipo primum Sophoclem adhibuisse Clearchus vult, jam in

46) De Tragoediae graec. princ. p. 138; confer. et Wexius ad Antigon. T. I, p. 273.

47) In novo Museo Rhenano T. I, p. 137 sqq.

48) L. VII, c. 4; p. 276 A.

49) L. X, c. 79; p. 453 E, quo de loco Hermannus quoque egit l. c. p. 136 sqq.

Antigona invenitur[80]); quae circa Ol. LXXXV acta est. Clearchum igitur auctorem nihil moramur; nihilo tamen secius aliis argumentis ducti et ipsi eandem cum Boeckhio Olympiadem tuemur, adeoque ipsum illius annum tertium exeuntem, qui nobis est 429 a. Chr., fabulae nostrae natalem non sine aliqua certitudinis specie constituimus[81]). Et primum quidem hoc certum esse videtur, quod jam Musgravio placuisse modo monuimus, neque antequam pestilentiam ipsi praesentes Athenienses vidissent, neque nisi recenti rei memoria atrocissimam illam publicae cladis imaginem concipi a poeta potuisse, quam in ipso fabulae limine luculentissimis coloribus descriptam quasi vivam spirantemque nobis proposuit; quique ex accuratiore veterum tragicorum lectione intellexerit, quanta cum calliditate illi, quamvis in remotissimis temporibus versari videantur, recentissima quaeque et quibus tum maxime hominum animi sollicitarentur, tectis ambiguisque commemorationibus tetigerint, plurimum jam huic argumento ponderis tribuet, neque veri dissimile esse judicabit, quod proximis statim post pestilentiam Dionysiis fabulam nostram actam esse diximus. Multo tamen certius sententiae nostrae argumentum inde accedere arbitramur, quod proxime sequente aestate

80) V. 1031: *τὸ μανθάνειν δ' ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγει.*

81) In eundem Jacobum quoque Sophocl. Quaestt. p. 287 in transcursu incidisse, sero animadvertimus; argumenta tamen nostra sunt, quibus Welckerum calculum suum adjecisse sanequam laetamur. Jacobium secutus est etiam F. Schultzius de vita Sophoclis poetae, Berol. 1836. 8, p. 85.

Ol. LXXXVII. 4 Periclem mortuum esse constat, quem ipsum sub Oedipi persona exagitasse nobis Sophocles videtur. Mira haec fortasse accident multis, qui nec similitudinem inter utrumque, nec causas perspiciant, quibus poëta ad tantam invidiam praestantissimo civi faciendam adduci potuerit; facile tamen intelligetis inter Athenienses, quae eorum superstitio fuit [52]), exsistere potuisse, qui nulla alia de causa pestilentiam sibi divinitus immissam crederent, quam quia Pericli summam rei publicae administrandam tradidissent, qui licet non suo ipsius at majorum crimine diis invisus piaculoque obstrictus esse videretur [53]). Quid quod id ipsum illi, Thucydide teste, sub initium belli Peloponnesiaci Lacedaemonii publice exprobrarunt, eo ipso consilio, ut invidiam ei apud populum conflarent, quasi infaustis ejus natalibus hujus belli calamitates ex parte debituri essent [54]); unde illud quoque colligimus, si qui idem inter Athenienses ipsos jactarent, non de plebe homines fuisse, sed qui Lacedaemoniorum partibus semper faverent, optimates, quos consentaneum erat nullam occasionem praetermittere, qua ad deturbandum adversarium uti possent. Neque ipse Pericles aliqua specie deorum contemtionis carebat, multoque minus coelestia monita curabat, quam v. c.

52) Cf. Aelian. Var. Hist. V. 17 et Lehrb. d. griech. Staatsalterth. §. 113, n. 6.

53) Ἐναγής, cf. Thucyd. I. 127; Plut. V. Pericl. c. 33; de sera Num. vind. c. 7.

54) L. c.: *διαβολὴν οἴσειν αὐτῷ πρὸς τὴν πόλιν, ὡς καὶ διὰ τὴν ἐκείνου ξυμφορὰν τὸ μέρος ἔσται ὁ πόλεμος.*

Niciam, optimatum principem, fecisse novimus; quippe recenti memoria solis defectionem in suscipienda expeditione neglexerat [55]), ipsumque oraculum, quo simul cum Dorico bello pestem venturam esse clare praedictum fuerat [56]), cum summo civium detrimento sprevisse videri poterat; ut facilis conjectura sit, inter illius offensae causas, quam Thucydides refert Periclem eodem fere tempore, quo fabulam nostram editam esse statuimus, apud populum subiisse [57]), impietatis quoque aliquod crimen fuisse, quod ipsi ab optimatum factione conflatum esset, licet Thucydides, humanorum magis quam divinorum curiosus [58]), id tacuerit [59]). Harum autem partium Sophoclem quoque fuisse, vel ex ejus natalium splendore divitiisque, quibus a pueris inde usus esse traditur, colligimus [60]), neque simultatem, quam olim in praetura cum Pericle habuisse dicitur [61]), ab hac argumentatione

---

55) Plutarch. V. Pericl. c. 35; Cic. de Republ. I. 16; qua cum narratione conf. quae simili in causa Nicias egit, ap. Plut. V. Nic. c. 23; Plin. Hist. Nat. II. 12.

56) Thuc. II. 54: *ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.*

57) Thuc. II. 59: *καὶ τὸν Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον ὡς πείσαντα σφᾶς πολεμεῖν καὶ δι' ἐκεῖνον ταῖς συμφοραῖς περιπεπτωκότες.*

58) Kortüm zur Gesch. hell. Staatsverf. p. 201. Wigand über das religiöse Princip in der Darstellung des Thucydides, Berlin 1829. 4.

59) Bene monuit J. A. Kutzen (de Pericle Thucydideo spec. I, Vratislav. 1829, p. 18 sq.) Thucydidem nonnisi vitam Periclis publicam eatenus tradidisse, quatenus ad bellum Peloponnesiacum pertineret.

60) Testis est vitae ejus auctor: *καλῶς δὲ ἐπαιδεύθη καὶ ἐτράφη ἐν εὐπορίᾳ*: conf. et Plin. Hist. Nat. XXXVII. 11: *Sophocles tragicus poëta . . . principe loco genitus Athenis*, et C. G. Lange de Sophoclis vita, Hal. 1833. 8, p. 9 sq.

61) Cic. de Offic. I. 40; Plut. V. Pericl. c. 8.

alienam fore arbitramur; quamvis enim plerumque in eo tantum poni soleat, quod Sophocles voluptatis quam negotiorum et rei publicae studiosior fuerit, hoc ipsum discrimen ab homine aequali ita commemoratur, ut arctissimo vinculo cum factionibus in civitate cohaereat poëtaeque animum a negotiis gerendis alieniorem non tantum in Musarum Venerisque amore verum etiam in partium studio et sententia de re publica causam habuisse intelligamus[62]. Accedit quod Cimonem ei juveni favisse audimus[63], quem diversarum semper a Pericle partium fuisse Spartanorumque commoda impensissimo studio tuitum esse constat; qui licet illo tempore dudum mortuus esset, amicos tamen studiorum suorum aemulos reliquerat, neque in tanta argumentorum omnium [illegible]

62) Ion apud Athenaeum XIII. 81, p. 604 D: *μελετῶ, εἶπε, στρατηγεῖν, ὦ ἄνδρες, ἐπειδήπερ Περικλῆς ποιεῖν με ἔφη, στρατηγεῖν δ' οὐκ ἐπίστασθαι· ἆρ' οὖν οὐ κατ' ὀρθόν μοι πέπτωκε τὸ στρατήγημα; τοιοῦτα πολλὰ δεξιῶς ἔλεγέ τε καὶ ἔπρασσεν, ὅτε πίνοι ἢ πράσσοι· τὰ δὲ πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν, ἀλλ' ὡς ἄν εἷς τις τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων.* Scilicet *χρηστοὶ* sunt, qui alias *βέλτιστοι*, optimates, quos haud raro illa aetate taedio captos et divitiarum suarum fructu contentos a re publica abstinuisse atque *ἀπραγμοσύνης* culpam incurrisse constat; cf. Xenoph. Mem. Socr. III. 7; Plat. Remp. VIII, p. 549 C; Aristoph. Equitt. v. 265; Eurip. Suppl. v. 251 etc.

63) Plut. V. Cimon. c. 8. Sauppius quidem in comm. de causis magnitudinis iisdem et labis Atheniensium (Turici 1836. 4, p. 17) mirari se profitetur, quomodo dixerim Cimonem posthabito Aeschylo Sophocli primas detulisse, quum illum et ipsum antiquae disciplinae favisse neque novarum rerum studiosum fuisse constet, cf. Müller ad Aesch. Eumen. p. 120; at aliud opinor erat intemperatam plebis licentiam improbare, aliud optimatum se factioni addicere, nec veri simile est idem cum Cimone in re publica sensisse eum, qui in Supplicibus Argivos Lacedaemoniorum hostes tantis laudibus extollit; cf. Boeckh de Trag. gr. princ. p. 54, Welcker Aeschyl. Trilogie p. 401, Suevern in Comm. Acad. 1824, p. 12, Haupt Quaestt. Aeschyl. spec. II, p. 105 sqq. adeoque ipse Müllerus l. c. p. 122.

congruentia dubitamus, quin jure nostro Sophoclem in Oedipo Tyranno tectum Periclis adversarium statuerimus, cujus potentiam in re publica Atheniensium a tyrannide parum abfuisse notum est [64]). Quod enim supra monuimus poëtae in hac fabula scribenda propositum fuisse, ut vim adversae fortunae ostenderet in eos, qui suis ipsorum viribus nimis confiderent, Periclis personae omnino convenit, quem certum est ingenii sui sollertia animique integritate fretum omnia ita instituisse, ut nihil sibi ab externis casibus metueret; neque quidquam aliud nobis persuasum est in Oedipi exemplo proponendo Sophoclem voluisse, nisi ut Athenienses, pestilentia admoniti, Periclis consilia amplius sequi recusarent ab eoque se quasi abdicarent, antequam una cum illo majoribus cladibus implicarentur. Atqui haec omnia ita tantum vim habere poterant, si vivo Pericle proponebantur; mortuo adversario nervi atque acumen totius argumenti peribant neque profecto Sophoclem decuisset tanti hominis memoriae post fata insultare; quapropter, quum vix unum annum ille pesti superstes fuerit, de tempore editi Oedipi Tyranni controversia amplius non erit. Sunt quidem qui in Oedipo Coloneo nescio quas laudes ac commendationes Periclis indagare sibi videntur [65]), qui si recte

---

64) Thucyd. II. 65: ἐγίγνετο δὲ λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.

65) Reisigius in Enarr. Oed. Colon. p. IX et Lachmannus in Niebuhrii Mus. Rhenan. T. I. p. 328 et 353.

et verum vidissent, omnis nostra disputatio corrueret; sed ut reliqua, quae abunde jam ab aliis viris doctis contra illos allata sunt [66]), nunc mittamus, eum ipsum locum, quo imprimis nituntur, quivis intelliget, si modo ad horum temporum res pertineat, nostris potius quam illorum rationibus favere [67]), atque illud tantum ex eorum sententia retinemus, ut Sophoclem non magis quam Euripidem Aeschylumve praesentis rerum conditionis in tragoediis suis immemorem fuisse statuamus; quod etsi Luzacius negare conatus sit [68]), tamen et Oedipi Colonei et aliarum fabularum exemplis ita comprobatur [69]), ut nihil praeter consuetu-

66) Cf. Boeckhius in prooem. lectt. Berol. aest. 1826, p. IV et Suevernius in Abhh. der Berl. Akad. 1828, p. 24.

67) Versus dico 1534 — 37, ubi quod Sophocles ait civitates, etiam si bene regantur, tamen facile ad superbiam et impietatem delabi, deosque quamvis sero inspectare, si quis neglecta ipsorum reverentia in furorem se convertat, profecto facilius in reprehensionem quam in laudem eorum, quae Pericles proxime egerat, detorqueri possit, neque quidquam vestigii extat, quod verba κἂν εὖ τις οἰκῇ, ad illum potius quam ad Cimonem vel Thucydidem Melesiae filium vel quemvis alium optimatum principem referri jubeat.

68) Lectt. Att. p. 317: »neque occasione data, allatis in medium exemplis, monuissem, Euripidi frequenter in more positum fuisse, ut de legibus aut factis, quae recenter Athenis accidissent, quin universe de re publica, qualis tum erat, sub personarum scenicarum larva sententiam diceret; hunc morem Aeschylo item non insolitum fuisse, sed Sophocli rarissimum, apud quem unum tantum alterumve ejus exemplum reperiatur.«

69) Cf. Suevernius in Abhh. d. Berl. Akad. 1824 et 1825 et Boeckhius de Antigona ibid. 1826. Ne tamen omnes pari loco habere videamur, praeter ea quae mox sequuntur, etiam Jacobi verba apposuimus ex Quaestt. Sophocl. p. 180: »sicuti in omnibus Sophocles medium inter Aeschylum et Euripidem quasi cursum tenuit, ita magnam gloriae suae partem eo esse meritus videtur, quod neque ut hic artem suam a rei publicae rationibus plane sejunxit frivolisque vulgi studiis accommodavit, neque ut ille eam ad singula civitatis instituta adhibuit seu commendanda seu impugnanda, verum in eo se continuit loco, in quo tum civium usui dignissime inserviret, tum artem suam ad pulchritudinis perfectam speciem praeclarissime conformaret.«

dinem in nostra commisisse poëta censendus sit. Verum enim vero apud Sophoclem tectae ejusmodi admonitiones reprehensionesque multo callidius occultantur cumque universa fabulae forma artificiosissime coalescunt; apud Euripidem extra ipsius argumenti tenorem eminent adeoque male cum reliquis actionis partibus cohaerent, ut nisi ad certam aliquam poëtae cogitationem referantur, inepta prorsus et inconcinna videri debeant; neque ulla in re magis utriusque diversitas cernitur, quam quod ille ad unum omnia propositum direxit, hic licenter vagus, qualem venustissime Aristophanes descripsit [70]), undique decerptis floribus argumenta exornavit atque fucavit. Nonnihil tamen etiam temporum mutationi tribuendum est, eamque et nostris causis tertiam adjungimus; quum ingruente populari impotentia neque regi se amplius a poëta scenico plebes pateretur [71]), neque admoneri malorum suorum in theatris, sed in oblivionem adduci vellet [72]), unde factum est, ut solam delectationem poëtae in argumentorum personarumque descriptione venarentur nec nisi hinc inde inspersis sententiolis locisque communibus animos a fictis inanibusque fabellis ad praesentis vitae rationes revocarent. Atque haud scinus an aliquod jam hujus mutationis vestigium in ipsa illa adversa fortuna appareat, quam Sophoclis fabulam in tantis virtutibus apud aequales expertam esse superius commemoravimus; hoc certe proclive est ad existimandum, non artem poëtae populo

70) Acharn. v. 405.
71) Cf. et Plat. de Legg. III, p. 700.
72) Cf. Timoclem apud Athenaeum VI. 2.

omnium elegantissimo displicuisse, sed sententiam, quae toti argumento subesset, tantumque abest ut aliam nobis atque olim Atheniensibus exhiberi conjiciendum sit, ut nihil magis ad opinionem nostram de poëtae consilio confirmandam faciat quam illa repulsa, quae quum alias ne in depravatis quidem seculi moribus excusationem habitura sit, facile explicatur, ubi recentis calamitatis recordationem telaque clam in patronum plebis conjecta ipsum artis fructum comminuisse populoque pro delectatione bilem ac poenitentiam movisse recogitamus. Nobis demum, quibus et liberum de rebus Atticis judicium est et funestissimae cladis descriptio legentibus inter ipsum horrorem summam voluptatem creat, integra et incorrupta artis praestantia perfrui licet; quae tamen quum ita tantum plene ac perfecte dijudicari possit, ubi consilio ac libertate humana, non fortuito vel necessitate aliqua oriunda videatur, haud inutilem operam nostram fuisse arbitramur, qui et propositum poëtae in fabula scribenda aperuerimus et comparatione instituta ostenderimus inter complures tractandi vias Sophoclem eam elegisse, quae vel subsequenti aemulo nihil nisi deteriorem fabulae formam amplectendam reliquisset; utque haec levia multis atque exilia videantur prae iis quae ad interiorem dramatis nexum singularumque partium venustatem illustrandam pertineant, unum aliquem locum quamvis exiguum ab integro nostris viribus pertractare quam grandissimae aleae opus post tot aliorum conamina inchoare ac leviter tantum perstringere maluimus.

———

II.

DISPUTATIO
DE
AETATE ET CAUSIS
OEDIPI COLONEI,

SCRIPTA

INDICENDIS LECTIONIBUS HIBERNIS

A. MDCCCXXXVI.

Quum ante hoc biennium et quod excurrit Sophoclis Oedipum Tyrannum publicis scholis interpretari aggrederemur, tempus quo haec fabula acta esset ita nobis probabiliter indagare visi sumus, ut Sophoclem diversarum a Pericle in re publica partium fuisse Oedipique sub nomine huic invidiam conflare pestilentiaeque culpam, qua Athenas secundo belli Peloponnesii anno conflictatas esse constat, in eum transferre voluisse statueremus. Quae si recte nos disputasse et ipsa rei convenientia et doctissimorum virorum assensus sperare jubet, de alterius quoque fabulae Oedipodeae, quae a Colono nomen habet, aetate atque indole certum erit nec Reisigium [1]) nec Lachmannum [2]) recte judicasse, quorum uterque quamvis diversis rationibus usus eo demum pervenit, ut Periclem illic excusari vel adeo commendari arbitraretur eoque etiam vivo sub ipsum Peloponnesii belli initium fabulam scriptam existimaret. Quidquid enim de Oedipi Colonei rationibus

1) Enarr. Oedip. Colon. p. V sqq.

2) Ueber die Absicht und Zeit des Sophokleischen Oedipus auf Kolonos, in Niebuhrii Rhein. Museum T. I, p. 313 sqq.

eruditorum judicia discrepent, in eo tamen omnes conveniunt, ut hanc fabulam Tyranno ut ordine ita etiam aetate posteriorem esse censeant [3]); idque ipsius poëtae testimonio confirmatur, qui quum illic Oedipum ipsum exsilium flagitantem fecisset, ne ipse secum pugnare videretur, qui nunc hoc idem Creonti filiisque exprobraret, sedulo illum ita excusavit, ut aliam recentis doloris ac sequentium temporum rationem fuisse diceret [4]); ne quis autem utramque fabulam ut Aeschyli Choëphoras Eumenidesque unius tetralogiae vinculis comprehensas fuisse putet, tenendum est Sophoclem singulis fabulis certare coepisse [5]); quod si recte Tyranno proximus ante Periclis mortem annus assignatus est, Coloneo illud tantum temporis spatium restat, quod medium inter Periclis ipsiusque Sophoclis obitum intercedit. Nec desunt

3) Cf. Boeckhius de Trag. gr. princ. p. 138; Süvern über die Absicht und Zeit des Oedipus auf Kolonos in Abhh. d. Berl. Akad. 1828, p. 32; Schultz de vita Sophoclis p. 96.

4) Oed. Col. v. 433 sqq. 764 sqq. Antigonen quoque respici v. 1410 suspicatur Süvernius in Abhh. d. Berl. Akad. 1824, p. 10.

5) Cf. Boeckh. de Trag. gr. princ. p. 106 et Hermanni Opusc. T. II, p. 307; quibus qui opposuerunt Welckerus Aeschyl. Trilogie p. 509, Clinton in Mus. Philol. Cantabr. T. I, p. 78, et nuperrime Schultzius l. c. p. 64 sqq., aut Suidae auctoritatem justo temerius spernere videntur, aut verbis illius ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι ἀλλὰ μὴ τετραλογίᾳ eum sensum tribuunt, quem salvis sermonis legibus nunquam habere possunt; cf. et Süvern über den histor. Charakter des Drama in Abhh. d. Berl. Akad. 1825, p. 44. Quanquam etiamsi illa significare possent, Sophoclem illud tantum novasse ut non amplius unum idemque argumentum integra trilogia continuaret, sed diversissimas fabulas singulatim tractatas eadem tetralogia complecteretur, ad id quod nunc volumus comprobandum sufficerent, neque ille tertia aliqua ultimaque cogitari debemus [illegible] est, recte Wunderus p. 15 annotavit.

veterum testimonia, quae etiam arctioribus finibus hanc quaestionem includunt; illa enim ratiocinatio tantum abest ut ad certam nos aetatem dirigat, ut viginti trium annorum campum aperiat, intra quos locum fabulae nostrae quaeramus [6]); veteres autem auctores si audimus, ad extremam poëtae senectutem remittimur [7]), quem tradunt fere nonagenarium, quum a filiis dementiae argueretur, Oedipum Coloneum, quam in manibus haberet et proxime scripsisset, judicibus recitasse et quaesisse, num illud carmen desipientis videretur [8]); eodemque etiam scholiastae nuper ex codice Florentino evulgati narratio conducit, qui hanc fabulam quadriennio demum post poëtae ipsius mortem ab ejus nepote cognomine Aristonis filio scenae commissam esse perhibet [9]). Quae quum ita sint, haud scimus an multis universa res adeo liquida ac comperta esse videatur, ut longiore argumentatione vix indigeat, neque eos, si res integra spectetur, temere agere arbitramur; nos tamen ut pluribus etiam de hac causa dispu-

6) Sophoclem mortuum esse anno Ol. XCIII. 3 = 406 a. Chr. satis constat; cf. Diodor. XIII. 103 et Schultzium l. c. p. 154.

7) Val. Max. VIII. 7, ext. 12: »Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit tam benigne mirifica illi opera sua exhibendo, quam illa operibus ejus tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mortem Oedipo Coloneo scripto.«

8) Cic. de Senect. c. 7; Plut. de republ. seni ger. c. 3; Lucian. Macrob. c. 24; Appul. Apolog. p. 298.

9) Ex copiis Victorianis, quae Monachii asservantur, primus edidit Thierschius in Actt. Philoll. Monacc. T. I, p. 322; mox ex ipsis membranis Laurentianis Elmslejus in editione sua, Oxon. 1823. 8, unde recepit Wunderus p. 12.

temus, principum in hoc genere virorum auctoritas movet, qui quum omnia illa testimonia pariter nossent, tamen internis argumentis ducti in alia omnia abierunt, unde apparet eos externis non tantam vim tribuisse, ut vel ex tempore editae aut recitatae fabulae conjecturam de scriptae aetate admitterent, vel literas auctorum potius, quae poëtam in extremis vitae terminis constitutum proponunt, quam universam senectutis mentionem sequendam esse censerent. Et Lachmannus quidem, quem superius commemoravimus, Ol. LXXXVII anno primo, Reisigius, cui Godofredus Hermannus adstipulatur [10]), ejusdem anno secundo vel tertio scriptam autumat eo consilio, ut arcani illius pignoris recordatione, quod Oedipus moriens Atheniensibus reliquisset, civium animi in ipso belli initio quasi fausto omine erigerentur; Boeckhius autem [11]) et Suevernius [12]) eidem consilio aptiorem occasionem invenire sibi visi sunt in Ol. LXXXIX vel XC ineunte, quo tempore Athenienses sibi, quiescentibus Peloponnesiis, a Boeotorum potissimum impetu metuisse audimus [13]); tralaticiam rationem

---

10) In praefat. editionis p. XIII sq.

11) Trag. gr. princc. p. 187; über die Antigone des Sophokles in Abhh. d. Berl. Akad. 1824, p. 45; prooem. ind. lectt. Berol. aest. 1826, p. 5 — 9.

12) Abhh. d. Berl. Akad. 1828, p. 15 sqq.; cf. eundem über einige historische und politische Anspielungen in der alten Tragödie in iisdem 1824, p. 6 sqq.

13) Xenoph. Mem. III. 5. 4: *ὥςτε Βοιωτοὶ μὲν οἱ πρόσθεν οὐδ' ἐν τῇ ἑαυτῶν τολμῶντες Ἀθηναίοις ἄνευ Λακεδαιμονίων τε καὶ τῶν ἄλλων Πελοποννησίων ἀντιτάττεσθαι, νῦν ἀπειλοῦσιν αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ἀττικὴν, Ἀθηναῖοι δὲ οἱ πρότερον ὅτε Βοιωτοὶ μόνοι ἐγένοντο, πορθοῦντες τὴν Βοιωτίαν, φοβοῦνται μὴ Βοιωτοὶ δῃώσωσι τὴν Ἀττικήν.*

qui internis quoque argumentis fulcire conarentur, pauci tantum ac novicii homines inventi sunt, quorum interdum levitas causam quam tuebantur deteriorem reddidit. Hoepfneri dissertationem [14]), qui ex vividissima senis Oedipi descriptione ipsius poëtae senectutem collegisse dicitur, ipsam non vidimus; Denhardo autem [15]) jure nostro levitatem exprobramus, qui quum illud potissimum viris doctis scrupulum injecisse vidisset, quod Sophocles in tanta simultate tantoque odio, quod ipsius aetate Athenienses inter et Thebanos exstitisse constat, Theseum cum Creonte tantum expostulantem fecerit, civitatem Thebanorum omni culpa exemerit [16]), totam rem sibi confecisse visus est, dum sub finem belli Peloponnesii odium Thebanorum in Athenienses languescere coepisse eoque tempore, quo fabula scripta esset, Thebanorum populum Atheniensibus favisse, optimates tantum infestos fuisse conjiceret, cujus sententiae unum hoc argumentum habet, quod bello finito Thebani Atheniensium exsules statim amicissime exceperunt; nam quod addit eos hoc jam tempore nullas contra Athenienses copias eduxisse, in illud tempus cadit, quum Thrasybulus Piraeeum tenebat [17]), quo tempore Sophocles dudum

---

14) Frid. Hoepfner de Sophoclis Oedipo Coloneo, Elbingae 1822. Eleganter scriptam dicit God. Hermannus l. c. p. XIV.

15) B. Fr. Denhard de Sophoclis Oedipo Coloneo, Marb. 1830. 8, p. 28 sqq.

16) Oed. Col. v. 919. 928. 938.

17) Xenoph. Hellen. III. 5. 8: *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἃ μὲν μέμφεσθε ἡμῖν, ὡς ψηφισαμένοις χαλεπὰ περὶ ὑμῶν ἐν τῇ καταλύσει τοῦ πολέμου, οὐκ ὀρθῶς μέμφεσθε· οὐ γὰρ ἡ*

mortuus erat. At captis a Lacedaemoniis Athenis Thebanorum rationes sponte sua mutari consentaneum erat, imperium ab optimatibus ad populum transiisse nemo unquam docuit [18]), quoque animo etiam paulo ante Thebani in Athenienses fuerint, inde patet, quod quum in sociorum consilio de conditionibus ageretur, quas victis imponere placeret, Thebani funditus evertendam urbem censuerunt [19]); quam licet posterius excusaverint unius tantum hominis, non civitatis sententiam fuisse, Athenienses tamen, qui cum universa civitate bellum gerebant, inimicitias suas deponere non poterant ante quam factis mutatos illorum animos publice experti essent; neque Boeckhii conjecturam quamvis multo ingeniosiorem probamus, qui ideo civitati Thebanorum poëtam parcere conjecit, quia ipsa illa aetate, qua fabulam scriptam esse statuit, factionem aliquam sui studiosam Thebis Athenienses habuerunt [20]); Sophocles enim de Thebanis in universum loquitur, quorum hostilitas adversus Athenienses post pugnam apud Delium eo usque processerat, ut mortuos quoque tollere

---

πόλις ἐκεῖνα ἐψηφίσατο, ἀλλ' εἷς ἀνὴρ εἶπεν, ὃς ἔτυχε τότε ἐν τοῖς συμμάχοις καθήμενος· ὅτε δὲ παρεκάλουν ἡμᾶς οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ, τότε ἅπασα ἡ πόλις ἀπεψηφίσατο μὴ συστρατεύειν αὐτοῖς.

18) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 40, n. 3 et §. 180, n. 11 sqq.

19) Xenoph. Hellen. II. 2. 19.

20) Thucyd. IV. 76: *τῷ γὰρ Ἱπποκράτει καὶ ἐκείνῳ τὰ Βοιώτια πράγματα ἀπό τινων ἀνδρῶν ἐν ταῖς πόλεσιν ἐπράσσετο βουλομένων μεταστῆσαι τὸν κόσμον καὶ ἐς δημοκρατίαν ὥσπερ οἱ Ἀθηναῖοι τρέψαι, καὶ Πτοιοδώρου μάλιστα ἀνδρὸς φυγάδος ἐκ Θηβῶν ἐσηγουμένου τάδε αὐτοῖς παρεσκευάσθη*: cf. Süvern in Abhh. d. Berl. Akad. 1828, p. 23.

illos prohiberent. Longe profecto facilius hanc difficultatem ita expediemus, ut omnes locos, qui laudem aliquam Thebarum continent, a juniore Sophocle additos esse statuamus, qui quum fabulam ab avo relictam editioni pararet, praevidere debebat argumentum, in quo Thebanum hominem a rege Attico maledictis concidi atque in ordinem cogi necesse esset, bello composito tantisque beneficiis a Thebanis in plebem Atticam collatis, recenti reditus exsulum memoria, quem illi consilio opibusque quam maxime adjuverant, populo placere non posse, nisi et ipse omnem invidiam ab universa civitate in singularem hominem transtulisset; quapropter et illos versus, quos superius commemoravimus, nepoti tribuimus et hos ejus manum expertos esse arbitramur, quibus Oedipus Theseum monet, ne perpetuam amicitiam cum Thebanis speret, fore enim tempora (v. 619),

ἐν αἷς τὰ νῦν ξύμφωνα δεξιώματα
δόρει διασκεδῶσιν ἐκ σμικροῦ λόγου:

exiguam certe acerrimi belli causam fuisse, quod idem viri docti concoquere non potuerunt, is tantum dicere poterat, qui pace composita veteris simultatis memoriam elevare vellet. Atque ita demum primarium illud argumentum sublatum erit, quare Reisigius atque Hermannus fabulam in belli initio collocarunt, quia tantae hostium laudes flagrantis belli temporibus neutiquam convenire videbantur, quas etsi jam Boeckhius etiam ab ineunte alienas esse recte monuisset, tamen non erat cur sequentes in

ejus refutatione acquiescerent, quando nec ipse commodam explicationem proposuerat; nec Schultzii nobis hac in causa diligentia satisfecit, qui licet et ipse tralaticiam rationem contra Boeckhium tueatur, tamen ei quoque nihil aliud opposuit, nisi res illo tempore quo fabulam scriptam velit gestas etiam decem vel quindecim annis post a poëta respici potuisse [21]), quo nihil inconsideratius aut imbecillius contra illum dici poterat. Tota enim illius disputatio eo redit, ut Sophoclem civium animos contra Thebanos, quibuscum solis sibi tum res fuerit, confirmare voluisse dicat, quod paucis annis post, quum Peloponnesii quoque ad arma rediissent, omni vi caruisset; fatemurque huic sententiae etiam inde aliquam speciem accedere, quod Creontem Thebanum de ἐρημίᾳ sua loquentem videmus [22]), neque illud nos moveret, quod Reisigius objecit, post cladem Deliensem ridiculum futurum fuisse, qui Atheniensibus victoriam de Thebanis augurraretur; nam tunc profecto erat cur poëta cives antiquae virtutis memoria erigeret deque patriae terrae aggressione consolaretur; quod si etiamnunc nihilo magis Boeckhianam quam Reisigianam rationem sequi audemus, illud in causa est, quod neutri concedere possumus, unde pariter uterque proficiscitur, poëtam Oedipi sub persona Athenienses futuram de Thebanis victoriam sperare

21) De vita Sophoclis p. 97.

22) Oed. Col. v. 937.

jubere. Quod enim divinitus sibi proditum [23]) Oedipus Theseo promittit, corpus suum, si Attica in terra conditum fuerit, magnum indigenis praesidium, Thebanis cladem allaturum esse [24]),

---

23) Cf. Lachmann l. c. p. 322 sqq., qui tamen recte duo oracula distinguit diversi argumenti, ab G. Hermanno ad v. 392 etiamsi non verbis, re tamen, nisi egregie fallor, inter se confusa. Reprehendit enim poëtam, non bene ab eo institutum dicens, ut quod hic nuncietur oraculum nihil nisi confirmet antiquam illam dictionem, quae Oedipo olim data fuerit, neque eandem rem tanquam novum quid per confabulationem exquiri debuisse, sed potius continua oratione ab Ismene nunciandum fuisse ait, rescivisse principes Thebanorum quid olim Oedipo oraculum respondisset; qua de re me quidem longe aliter sentire fateor. Et prius quidem effatum, quod secum ipse Oedipus attulerat (v. 88), universe tantum spem fecisse apparet fore, ut ejus loci, ubi exilii finem invenisset, incolis salutem (cf. et v. 288), Thebanorum principibus, qui se extorrem egissent, perniciem afferret (v. 93), eodemque spectant veteres illae dirae, quibus proficiscens filios devoverat, quasque ratas fore Apollinem sibi spopondisse ait (v. 453; cf. Wunderum p. 17 sq.); quae autem Ismene nunciat oracula, ipsis Thebanis ingruente bello Argolico edita (v. 387 sqq.), hoc potius continuisse suspicor, ut Thebanos Oedipum et vivum et mortuum in potestatem suam redigere juberent, sin id neglexissent, vivum quidem, si Polynici se adjunxisset, huic victoriam tributurum (v. 1332), mortuum autem, quocunque in loco sepultus esset, funestum ipsis futurum minarentur (v. 411); atque in hoc etiam a Lachmanno dissentio, qui Scholiastae ad v. 287 fidem in dubitationem vocat, quia in enarrando oraculo Atticae mentionem nullam fecerit. Nam quod aliud scholion appellat ad v. 457, hoc ipsum claris verbis indicat Sophoclem ornandae patriae causa, quod universe dictum fuisset, tragicorum more in hanc potissimum transtulisse (*ταῦτα δὲ εἰκὸς ποιητικώτερον ὑπὸ τοῦ Σοφοκλέους πεπλάσθαι ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν Ἀθηναίων· πολλαχοῦ δὲ οἱ τραγικοὶ χαρίζονται ταῖς πατρίσιν ἔνια*), utque prior ille Scholiasta loco praepostero rem narraverit, genuinum tamen oraculi argumentum servasse videtur: *ἦν γὰρ λόγιον, ἐν ᾗ ἂν ταφῇ χώρᾳ, ἐκείνην μηδὲν κακὸν πείσεσθαι ὑπὸ Θηβαίων*, nullusque dubito, quin ex ipsius poëtae mente Oedipus demum, ubi Ismenen audierit, utroque oraculo inter se composito illud beneficium, quod Theseo identidem jactat, collegisse censendus sit; siquidem id quod sibi promissum erat, ex Ismenae nuncio accuratius definire potuit, locum autem sepulcri, quem Thebanis fatalem fore posterius oraculum dixerat, ipse demum prioris ope Colonum fore intellexit, neque quidquam Sophoclem aut oraculi naturae convenientius aut Oedipi persona dignius instituere potuisse arbitror, quam ut ea, quae reliquis omnibus singulatim accepta obscura esse debebant, unus ille, in quem conveniebant, quemque deos ipsos suo numine regere videmus, clare atque ordine perspiceret.

24) Oed. Col. v. 605 sqq. 1525 sqq.

non ad universam terram Atticam, sed ad Colonum tantum, ubi sepultus esse tradebatur, pertinet [25]); quo si quando Thebanorum copiae accessissent, manes suos, ignominiae memores, saucios eos dimissuros esse ostendit, praeterea vero nullum sui usum pollicetur, ut ita potius ridendum se Sophocles praebuisset, si civibus spem facere de hostium caede voluisset, qui nisi Colonum venissent, Oedipi iram experiri omnino non possent. Urbem tantum Athenarum Oedipi corpus Coloni positum quodammodo tutari poterat, quia haec a Boeotis per Colonum potissimum adibatur [26]); quod etsi Oedipi illa pollicitatio ad ipsum poëtam referenda esset, illud saltem tempus spectaret, quum Athenienses, Decelea capta ad incitas redacti, non tam agris amplius quam ipsi urbi metuerent; vix tamen arbitramur illum in incerto eventu tanta cum fiducia Oedipum vaticinantem facturum fuisse (v. 621):

ἵν' οὑμὸς εὕδων καὶ κεκρυμμένος νέκυς
ψυχρός ποτ' αὐτῶν θερμὸν αἷμα πίεται:

multoque veri similius ducimus Sophoclem, quem omnino in

---

25) Süvern in Abhh. d. Berl. Akad. 1828, p. 18 sqq.

26) Haec ideo monenda visa sunt, ne quis, quum v. 457 legerit *τῇδε τῇ πόλει μέγαν σωτῆρ' ἀρεῖσθε*, et v. 1533: *χοὕτως ἀδῆον τήνδ' ἐνοικήσεις πόλιν Σπαρτῶν ὑπ' ἀνδρῶν*, toti Atticorum civitati promitti censeat, quae ad caput tantum regionis spectant. Atque haud scio an hanc ipsam ob causam non solum religioso verum etiam militari sensu locus ille, quem primum Oedipus ingressus erat (v. 58), columen Athenarum (*ἔρεισμ' Ἀθηνῶν*) appellatus sit; quanta enim sollertia veteres ea quoque, quae vel civilis vel militaris prudentia suaderet, religionibus aut superstitionibus sancire consueverint, et Italorum pomoeria et multa Graecarum civitatum instituta clarissime docent.

tota hac fabula nihil magis quam natalem suum pagum ejusque religiones celebrare Hermannus observavit, certam aliquam cladem ante oculos habuisse, quam Thebani aliquando ibidem passi essent; quae quamvis ignobilis et exigua fuisset, tamen ad religionem loci veterisque oraculi veritatem testandam sufficere videretur. Thucydides quidem unius modo pugnae equestris mentionem fecit, quae primo statim belli anno prope urbem inter Athenienses et Thebanos commissa fuerit [27]); eam autem in annuis hostium incursionibus etiam alias sequi consentaneum erat, licet Thucydides, quem posterioribus belli temporibus exulem vixisse constat, gravioribus tantum intentus non omnes memoriae mandarit; utque ipsum Colonum aliquando a Boeotis infesto agmine petitum esse veteris oraculi vestigia satis testantur [28]):

Βοιωτοὶ δ' ἵπποιο ποτιστείχουσι κολωνόν,
ἔνθα λίθος τρικάρανος ἔχει καὶ χάλκεος οὐδός,

ita victoriae quoque, si docti grammatici fidem sequimur [29]),

27) Thucyd. II. 22: *καὶ ἱππομαχία τις ἐγένετο βραχεῖα ἐν Φρυγίοις, τῶν τε Ἀθηναίων τέλει ἑνὶ τῶν ἱππέων καὶ Θεσσαλοῖς μετ' αὐτῶν πρὸς τοὺς Βοιωτῶν ἱππέας. κ. τ. λ.* Phrygiorum tamen de situ nihil amplius constat, nisi quod Stephanus Byz. p. 745 *τόπον μεταξὺ Βοιωτίας καὶ Ἀττικῆς* fuisse ait; cf. Stuart und Revett, die Alterthümer von Athen, Darmst. 1831. 8; T. II, p. 242.

28) Apud Schol. Oed. Col. v. 57. Posterioribus etiam temporibus Colonum hostium, qui Athenas aggrederentur, vastationibus patuisse docet Pausanias I. 30. 7: *τὸ δὲ ἄλσος τοῦ Ποσειδῶνος καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησεν Ἀντίγονος ἐσβαλών, καὶ ἄλλοτε στρατιᾷ κακώσας Ἀθηναίοις τὴν γῆν.*

29) Schol. Aristid. p. 560 Dind.: *στρατευσάντων δέ ποτε Θηβαίων κατὰ Ἀθηναίων ἐπιφαίνεται Οἰδιποὺς Ἀθηναίοις, κελεύων αὐτοὺς ἀντιπαρατάξασθαι Θηβαίοις θαῤῥούντως, καὶ συμβαλόντες ἐνίκησαν αὐτούς.*

ipsius Oedipi ope de illis reportatae memoria exstat, qua si nunc Sophoclem ad ceremonias pagi sui resuscitandas populoque Attico commendandas uti suspicamur, haud procul a rei veritate aberrare nobis videmur. Hoc enim primarium fabulae consilium esse satis ipse his verbis declaravit (v. 1536):

> ϑεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὀψὲ δ' εἰσορῶσ' ὅταν
> τὰ ϑεῖ' ἀφεὶς τις εἰς τὸ μαίνεσϑαι τραπῇ,
> ὁ μὴ σὺ, τέκνον Αἰγέως, βούλου παϑεῖν:

neve temere illum sacrorum Colonensium efficaciam venditasse arbitremur, ipsius viri gravitas vetat, quem neutiquam deceat pari cum χρησμολόγοις loco haberi, quorum vanitatem plebi Atticae haud raro fraudi fuisse novimus; praesentem numinis vim ostenderet necesse erat, qui tantam ejus majestatem jactaret; idem vero si quid spei in posterum significat, in civium potius virtute causaeque bonitate ponit, ut in proelii descriptione splendidissima [30]), qua haud scimus an vivam rerum gestarum imaginem expresserit, praesertim propter equitum laudes, quas etiam in parodo insigniter extulit [31]), quorumque operam per illud bellum praeclarissimam in tutandis Atticae finibus exstitisse constat [32]). Quae tamen omnia nos ad certum belli annum non conducunt, atque etiam si sciremus, quando apud Colonum pugnatum esset,

---

30) Oed. Col. v. 1045 sqq. imprimis v. 1080: μάντις εἰμ' ἐσϑλῶν ἀγώνων.

31) Ibid. v. 712 sqq.

32) Cf. disp. de equitibus Atticis p. 45.

parum inde lucis ad fabulae aetatem redundaret, quae etiam aliquot annis post scribi potuisset, eodem modo, quo in praedicanda olearum sanctitate non tantum recentem Archidami verum etiam antiquum Xerxis furorem respexit [33]); nec melior reliquorum vestigiorum causa est, quae ad res Sophoclis aetate gestas referri possint, nisi quod nonnulla eorum alienis opinionibus opponere licet. Reisigium certe errasse hi quoque versus docent, qui Plataeensium transitum a Thebanis ad Athenienses spectare videntur (v. 944):

οὐδείς ποτ᾽ αὐτοῖς τῶν ἐμῶν ἂν ἐμπέσοι
ζῆλος ξυναίμων, ὥςτ᾽ ἐμοῦ τρέφειν βίᾳ:

neque Boeckhio favet hic, qui haud scio an proditorum machinas sub finem belli tangat (v. 1091):

ἀλλ᾽ ἴσθ᾽ ὅτῳ σὺ πιστὸς ὢν ἕδρας τάδε:

Areopagi autem laudes, quae v. 947 praedicantur, nisi quis cum Boeckhio jam ante Ol. XCII pristinam illum potestatem recuperasse credat [34]), ita tantum ad rem praesentem referre licebit, ut ab juniore Sophocle post Euclidem archontem additas esse statuamus, quum a seniore antiquae aristocratiae memore

33) Oed. Col. v. 700 sqq.

34) In prooemio ind. lectt. Berol. hib. 1826 — 27 extr., qui tamen et ipse debilitatem hujus argumenti agnoscit et partim a Meiero in Niebuhrii Rhein. Mus. T. II, p. 272 sqq. partim a Forchhammero adeo refutatus est, ut hoc certum esse videatur, Areopagum judicia sua aut numquam amisisse aut Ol. XCIV demum recuperasse; quorum utrum probem, alio loco satis declaravi.

quovis tempore scribi potuerint [35]); quibus omnibus collectis illud utique lucrari nobis videmur, ut etiamsi ipsi internis argumentis externorum fidem non magnopere augeamus, tamen et contra haec nihil inde certi prodire intelligamus. Unum restat, quo Hermanno duce [36]) et Reisigius et Boeckhius nisi sunt, numerorum conformatio, quae illi aetatem Ol. LXXXIX vel XC priorem prodere videbatur, ipsique numerando invenimus, quum Philocteta, quam Ol. XCII editam esse constat, centum viginti quatuor solutiones contineat, in Oedipo Coloneo in majore versum numero octoginta tantum exstare [37]); attamen Sophoclem ne in iis quidem fabulis, quas ante Ol. LXXXIX scripserit, hac in re sibi constitisse, Oedipi Tyranni cum Antigona comparatio nos edocuit, quarum altera pariter octoginta, altera quadraginta tantum solutiones habet; recteque monuit Schultzius [38]) nihil obstare, quo minus poëta, qui olim optimos versus fecerit, etiam senex factus in reliquorum omnium corruptione bonos faciat, ea praesertim

35) Apposite Meierus ibid. p. 278: *so bliebe denn nur die rühmliche Erwähnung dieses Gerichtshofes im Oedipus auf Kolonos übrig, ein Argument, dessen Schwäche Böckh selbst anerkennt; denn wahrlich sie kann eben so sehr für die Sehnsucht des aristokratischen Dichters nach einem aristokratischen Rathe, als für das erneuerte Ansehen des leztern einen Beweisgrund abgeben.*

36) Cf. Oedipi Tyranni editionem Erfurdt. majorem p. 478.

37) Jure miramur Gruppii judicium in Ariadne p. 267: *im koloneischen Oedipus dagegen und im Philoctet sind die Metra schon etwas lockerer, formloser, nicht mehr nach der alten Strenge gebaut, es begegnen häufigere Auflösungen, mehr Kürzen, mehr flüchtige Määfse, was gewifs mit einem Fortschritt der Musik zusammenhängt, der damals gemacht wurde!*

38) L. c. p. 95; cf. Müller ad Aeschyl. Eum. p. 172 et Jacobi Quaestt. Sophocl. p. 346 sqq.

in fabula, in qua ipse Hermannus, intelligentissimus venustatis poëticae existimator, miram ubique sententiarum dictionisque vim et gravitatem pro loci cujusque natura personarumque moribus nunc ad summam alacritatem concitatam, nunc ad eximiam mollitiem temperatam agnoscit, poëtaeque diligentiam in singulis honorificentissima testificatione prosequitur.

Missa igitur internorum signorum ambiguitate ad externa testimonia revertimur; quae tamen et ipsa, licet in clarissima luce posita videantur, satis largam disputandi materiam praebebunt. Et primum quidem de judicio illo, in quo Sophocles recentem fabulam vel partem ejus [39]) recitasse traditur, pluribus agendum est, non modo ut vis ejus ad aetatem fabulae definiendam recte existimetur, verum etiam ut tota ejus natura ac ratio appareat, quae quum apud reliquos auctores locupletissimos, Ciceronem, Plutarchum, Lucianum, Appulejum, nihil contineat, quapropter dementiae actionem, qua Iophon filius parentem Sophoclem petierit, a communi fori Attici usu recessisse statuamus [40]), ecce inventus est qui virorum doctorum mentes perturbaret, nescio quis grammaticus [41]), cujus verba integra

39) Rectius enim Plutarchus ad parodum tantum (v. 668 sqq.) restringere videtur, quod alii de tota fabula narrant; neque illud negligendum est Ciceronem de *carmine* potius quam de *fabula* loqui.

40) *Παρανοίας* actionem apud Athenienses filios contra parentes habuisse, ut grammaticos mittamus, Aristophanis (Nubb. 844) et Xenophontis (Mem. I. 2. 49) loci clarissime docent.

41) Cf. vitam Sophoclis apud Brunck. p. XI et Schol. Aristoph. Ran. v. 73, quorum utrumque eundem auctorem sequi patet.

subjeci: *φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη δίκη ποτέ· ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργε, καὶ ποτε ἐν δράματι εἰςήγαγε τὸν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι, οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν· Σάτυρος δέ φησιν αὐτὸν εἰπεῖν, εἰ μέν εἰμι Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμὶ Σοφοκλῆς, καὶ τότε τὸν Οἰδίποδα παραναγνῶναι.* Hinc primus, ni fallor, Petitus [42]) curiales in hac causa judicasse collegit, ejusque auctoritas etiam sequentibus ita imposuit, ut etiam si judicium penes illos esse non potuisse intelligerent [43]), aliquas tamen illorum partes fuisse crederent, quae ad familiarum integritatem perpetuitatemque servandam spectarent [44]); unus Meierus, quum initio toti grammatici narrationi fidem negasset [45]), mox ita rem expedire conatus est [46]), ut curialium mentionem in illa non ad ipsam dementiae actionem, sed ad singularem Sophoclis casum pertinere statueret, qui quum nepotem ex Aristone spurio conceptum invito filio legitimo inter curiales referre liberorumque in jura

42) Legg. Att. II. 4. 21, p. 168.

43) Ad archontem enim eam causam pertinuisse tradit Pollux Onōm. VIII. 89; cf. Matthiae Miscell. Philoll. T. I, p. 244 et Heffteri Athen. Gerichtsverfassung p. 386.

44) Cf. imprimis Platneri Beiträge zur Kenntniſs d. att. Rechts p. 105.

45) Att. Proceſs p. 298.

46) Allg. Lit. Zeit. 1826, Nr. 23, p. 199 sq. et de gentilitate Attica p. 19.

asserere tentarit, apud curiales primum, deinde in judicio altercationem cum filio habuerit. Et hanc quidem viam nobis quoque probari profitemur; nam quod Platnero placuit [47]), curialium auctoritatem in dementia hominis testificanda plurimum valuisse, nec scholiastae verbis respondet, qui filium patrem apud curiales dementiae arguisse tradit, et cum tota ipsius sententia, qua actionem dementiae fuisse negavit, concidit; Boeckhius autem [48]) quod conjecit filio, antequam patrem *παρανοίας* judicio persequeretur, veniam a curialibus petendam fuisse, ad Platonicarum legum exemplum effictum est [49]), quas in toto hoc capite de parentum jure ab Atticis institutis insigniter discrepare constat [50]), atque ita tantum cum vetere narratione conciliari posset, si statueremus Sophoclem in judicium cum filio omnino non descendisse, quaeque Cicero aliique apud judices acta esse narrent, per errorem tantum ad illos a curialibus translata esse; curiales enim, quos Iophontem reprehendisse scholiasta narrat, accusandi veniam profecto non dedissent. Verum enim vero omnis haec conjectura, qua nobis Boeckhius Sophoclem Oedipum suam in judicio recitantem prorsus eripere conatur, in

---

47) Procefs und Klagen bei den Attikern T. II, p. 243.

48) In prooemio ind. lectt. Berol. hib. 1825 — 26, p. 6 et in Niebuhrii Rhein. Mus. T. I, p. 55 sqq.

49) Legg. XI, p. 929 D.

50) Cf. disp. de jure domestico et familiari apud Platonem in Legibus (Marb. 1836. 4), p. 15.

tanto veterum testium consensu justo audacior est, miramurque etiam Dindorfii judicium, qui quum Demosthenem [51]) et Lycurgum [52]) non modo tragicorum sententiis satis longis, sed etiam Solonis et Tyrtaei carminibus paene integris orationes suas ornamenti causa distinxisse nosset, Sophoclis recitationem, qua nihil luculentius ad ipsam causam inveniri poterat, inter fabellas Graecorum referre non erubuit [53]). Neque illud concedimus, quod Boeckhium secutus Schultzius attulit [54]), vel ideo rem ad judicium pervenire non potuisse, quia, si Sophocles sanae mentis fuisset, jam archon in cognoscenda causa litem rejecisset; archontem enim, qui gravem annis patrem filioque iniquum videret, hujus querelae movere poterant [55]), apud judices, heliastas praesertim, quos omnino non tam doceri quam delectari in judicio voluisse constat [56]), veteris poëtae sive artificium sive

51) De male gesta legat. p. 418 et 421.

52) Adv. Leocrat. §. 100 et 107.

53) Ad Aristoph. fragmm. p. 56.

54) L. c. p. 107.

55) Cf. God. Hermann über Herrn Prof. Boeckh's Behandlung d. griech. Inschr. p. 188.

56) Cf. insignem locum apud Aristoph. Vesp. v. 566, ubi Philocleon judicum fortunam praedicat, quorum animis tranquillandis conciliandisque omnem lapidem reos movere jactat:

οἱ δὲ λέγουσιν μύθους ἡμῖν, οἱ δ' Αἰσώπου τι γέλοιον,
οἱ δὲ σκώπτουσ' ἵν' ἐγὼ γελάσω καὶ τὸν θυμὸν καταθῶμαι,

et mox v. 579:

κἂν Οἴαγρος εἰςέλθῃ φεύγων, οὐκ ἀποφεύγει πρὶν ἂν ἡμῖν
ἐκ τῆς Νιόβης εἴπῃ ῥῆσιν, τὴν καλλίστην ἀπολέξας·
κἂν αὐλητής γε δίκην νικᾷ, ταύτης ἡμῖν ἐπίχειρα
ἐν φορβειᾷ τοῖσι δικασταῖς ἔξοδον ηὔλησ' ἀπιοῦσιν:

auctoritatem praevalere consentaneum erat. Prudenter igitur eatenus certe Meierus egit, ut causam Sophocleam, postquam apud curiales disceptata esset, ad heliastas pervenisse censeret; illud tantum concedere non possumus, quod et ipse, ne peculiari dementiae judicio Iophon patrem postulasse videretur, eam sibi totius causae rationem informavit, ut curiales quamvis reprehenso filio tamen non ausi sint Sophoclem nepotem albo suo adscribere, avus non destiterit de consilio, rem detulerit ad judicium heliasticum, ibi Iophon repetierit jactum desipientiae crimen, id ut repulsaret, poëta nonnulla ex Oedipo Coloneo recitarit; qua quidem ratione nihil aut coactius aut licentius excogitari potuisse arbitramur. Provocationem enim a curialium decretis ad judices nullam novimus [57]), neque videmus, cur contra tot testium auctoritatem postulationis culpam ab Iophonte removeamus, quem longe veri similius est, quum frustra patri invidiam apud curiales conflare tentasset, recepto in album fratris filio, ad dementiae actionem apud judices confugisse, ut patrimonium, quod mortuo patre jam dimidiatum tantum sperare posset, integrum vivo eriperet sibique addicendum curaret [58]).

---

unde intelligimus non modo poëtas, verum cujuscunque generis artifices artium suarum specimina in ipsis judiciis exhibere solitos esse.

57) Poll. Onom. VIII. 62: Ἔφεσις δέ ἐστιν ὅταν τις ἀπὸ διαιτητῶν ἢ ἀρχόντων ἢ δημοτῶν ἐπὶ δικαστὴν ἐφῇ, ἢ ἀπὸ βουλῆς ἐπὶ δῆμον, ἢ ἀπὸ δήμου ἐπὶ δικαστήριον, ἢ ἀπὸ δικαστῶν ἐπὶ ξενικὸν δικαστήριον: ubi curialium nullam mentionem fieri apparet.

58) Cf. disp. de jure domestico et familiari p. 16.

Atque ita tantum apparet, quomodo jam antiquitus exstare potuerint, qui Polynicis sub persona Iophontem a patre objurgari existimarent [59]); cui licet apud Sophoclem nihil exprobretur, nisi quod non prohibuisset, quominus pater in exsilium ablegaretur, exsulisque curam nullam gessisset, alii tamen alia praeterea violatae pietatis crimina injunxerunt [60]), unde facile existimari potest antiquos, qui ubique tectas ambiguitates venabantur, in exsecrationibus quoque, quibus Oedipus filios prosequitur, aliquid reconditi odoratos esse, nec desunt argumenta, quae exactioribus quoque nostrae aetatis judiciis eam opinionem aliquatenus commendare valeant [61]). Acerbitatem certe, qua illae dirae mirum in modum excellunt, non magis quam pestilentiae descriptionem in Oedipo Tyranno soli poëtae ingenio tribui debere, sed aliquid etiam propriorum sensuum continere quivis intelliget; utque haec verba (v. 1377):

ἵν' ἀξιῶτον τοὺς φυτεύσαντας σέβειν κ. τ. λ.

Jacobo judice non minus poëtae filiis quam Eteocli et Polynici dici videntur, ita haud scio an et iis, quae mox Oedipum dicentem fecit: *αἵδε γὰρ τάδ' οὐκ ἔδρων*, et omni illi comparationi, quam

59) Hunc enim sensum esse verborum apud Scholiastam: *καὶ ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα κ. τ. λ.* nos quoque credimus; cf. Süvern in Abhh. d. Berl. Akad. 1828, p. 30 et 44 sqq. Hermanni conjectura *ἐν δικαστηρίῳ* cur ferri non possit, dixere Meierus in Allg. Lit. Zeit. 1826, p. 199 sqq. et Boeckhius in ind. lectt. hib. 1826 — 26; cf. Niebuhrii Rh. Mus. T. I, p. 49 sqq.

60) Cf. Wunder in praef. edit. p. 18.

61) Cf. Jacobi Quaestt. Sophocl. p. 349; Boeckh in ind. hib. 1825 — 26, p. 7; Müller ad Aesch. Eumen. p. 172.

passim inter impiam filiorum negligentiam et inexspectata filiarum officia instituit [62]), aliqua suae fortunae recordatio subsit, qua senectutis solatia, quae a legitimo filio sperare debebat, a spuriis, unde minime exspectari poterant, acciperet; quod etsi neutiquam ipsum apud spectatores queri voluisse putamus, animo tamen senis inter scribendum obversari et colorem scriptis addere consentaneum erat. Difficilior explicatio est eorum, quae Antigone dicit (v. 1192 sqq.):

ἀλλ' ἔα αὐτόν· εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ,
καὶ θυμὸς ὀξὺς, ἀλλὰ νουθετούμενοι
φίλων ἐπῳδαῖς ἐξεπᾴδονται φύσιν·

quae quum manifestas experimenti notas prae se ferant, animum tamen ab eo quem proxime explicavimus prorsus diversum ostendunt, atque etiam si ex vetere quoque narratione sub finem vitae in gratiam Sophoclem cum Iophonte rediisse colligamus [63]), nescio quomodo displicet illa palinodiae species, quam si ab ipsa poëtae manu profectam statueremus, parentem cecinisse necesse esset; quare nobis quidem nihil probabilius videtur, quam haec quoque a juniore Sophocle postmodo inserta esse, qui quum intelligeret spectatores in tanta veteris illius simultatis celebritate

---

62) Cf. imprimis v. 342 sqq. 438 sqq. 1354 sqq.

63) Siquidem ipse Iophon apud Valerium Maximum ea, quae supra ex eodem retulimus, ne ignota posteris fierent, sepulcro patris insculpsisse fertur; cf. Boeckh de Trag. Graecae principibus p. 136.

facile adduci posse, ut in Oedipi dictis avi animum in patruum agnoscerent, et ipse sibi Antigonae sub persona, in qua ipsius mores avum expressisse modo conjecimus, reconciliationem inter illos factam callide testificandam sumserit. Verum haec, quoniam in suspicione tantum posita sunt, longius persequi nunc non lubet; ad aetatem fabulae ut redeamus, erat quum ex ipso hoc judicio adversariorum rationi patrocinium accedere arbitrarer, si recens natum nepotem ab avo Sophocle ad curiales allatum esse statueremus; quem enim Ol. XCIV. 3 fabulam docuisse constat, quo tempore minimum vicenarium esse oportebat [64]), is post Ol. LXXXIX natus esse non poterat; accuratius tamen re perpensa hoc quoque argumentum repudiavi. Recte enim jam Meierus [65]) animadvertit, mortuo demum Aristone Sophoclem introductionem illam fecisse videri, quae quum adoptionis formam propter filium legitimum habere non posset, post mortem demum patris sub tutelae specie ad avum redibat; Aristo enim, dum vivebat, quia spurius erat, et ipse curia carebat nec filium in eam adducere poterat, mortuo autem ipso fraudem legi facere pater poterat, dum filium illi ex muliere cive riteque desponsa quaesitum esse juraret; quod etsi quando factum sit, pro certo

---

64) Tricenarium necesse esset, si verum tradidisset Petitus Legg. Att. I. 1. 34, p. 74 ex Schol. Aristoph. Nubb. v. 530, quem tamen recte refutasse videtur Clinton Fast. Hell. T. II, p. LVI.

65) De gentil. Att. p. 19.

investigari nequeat, tamen aliquot annis nato filio superstitem Aristonem fuisse veri simile est. Quod autem Meierus in octogesimum Sophoclis annum hanc causam incidisse conjecit, poëtae dictum apud Aristotelem [66]), unde id collegit, neque omnino ad judicium pertinere videtur et ab hac certe lite manifesto alienum est; nam qui invitum se octogenarium esse ait, senectutem non excusat sed accusat, neque illud Iophon patri objecit, quod senectutem mentiretur, sed quod senectute deliraret, Meieri vero correctio, qua *μὴ* inserendum censuit, prorsus absona est; quis enim tremat ut senectutem dissimulet? Quae quum ita sint, apparet neque in judicii illius memoria quidquam inesse, quod nos a communi antiquitatis traditione discedere cogat; restat ut ea quae de editione fabulae tradita sunt excutiamus, num eorum opinioni faveant, qui quum Oedipum Coloneum quindecim amplius annis ante Sophoclis mortem scriptam censeant, eandem jam a poëta vivo scenae commissam, a nepote repetitam tantum esse volunt [67]). Et miro quidem casu accidit, ut nec hoc testimonio, quod omnium planissimum videatur, sine controversia perfrui liceat; nam quum scholiasta claris verbis dicat: *τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπουν ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς ἐστι*

66) Rhetor. III. 15. 3: *οἷον Σοφοκλῆς ἔφη τρέμειν, οὐχ ὡς ὁ διαβάλλων ἔφη, ἵνα δοκῇ γέρων, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης, οὐ γὰρ ἑκόντι εἶναι αὐτῷ ἔτη ὀγδοήκοντα.*

67) Boeckh in ind. lectt. aest. 1826, p. 3.

τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι, contra stat Diodorus [68]), qui post quinquennium demum archonte Lysiade Ol. XCV. 4 Sophoclem juniorem fabulas docere coepisse narrat; utque hanc difficultatem ita expedire liceat, ut eum ab hoc demum anno suo nomine docuisse, Oedipo avum auctorem praescripsisse statuamus [69]), id ipsum tamen adversarii in suam rem trahere poterunt. Quas enim fabulas nondum editas tragicorum posteri quasi hereditate accepissent, suis plerumque nominibus edidisse videntur [70]), id quod ipsi Iophonti exprobratum esse legimus [71]); quod nisi jam antea Sophocles vivus Oedipum edidisset, mirari aliquis posset quomodo nepos vicarium tantum avi agere maluisset, neque illud opponi sibi pateretur, quod apud scholiastam *ἐδίδαξε* tantum, non *ἀνεδίδαξε* legimus, Plutum comparans Aristophaneam, quam nisi aliunde constaret vicesimo post primam editionem anno poëtam secundis curis retractasse, vetus argumenti scriptor facile legentes induceret, ut tum demum, quum iterum ageretur, scriptam ab illo putarent [72]). At vero alia poëtae retractantis, alia successoris causa est, malamque gratiam avo nepos retulisset, si eam potissimum

---

68) Diodor. Sic. XIV. 53.

69) Clinton F. H. II, p. 95.

70) Cf. Grysar de Graecorum tragoedia circum tempora Demosthenis (Col. 1830. 4), p. 4 sqq.

71) Schol. Aristoph. Ran. v. 73: *Ἰοφῶν υἱὸς ἦν Σοφοκλέους ἐκ Νικοστράτης, ὃς ἐδόκησεν παρεῖχεν ὅτι τοῖς τοῦ πατρὸς ἐχρήσατο ὡς οἰκείοις.*

72) Cf. Ritter de Aristoph. Pluto p. 47.

illi fabulam praeripuisset, in qua sua ipsius causa periclitatus esset, ut mittamus ne integram quidem amplius rem fuisse, postquam vel partem fabulae in judicio Sophocles recitasset hominumque exspectationem movisset; quam si quis quaerat cur integro quadriennio nepos moratus fuerit, facilis responsio est, aut turbas civiles clademque publicam prohibuisse, quominus fabulae ordine agerentur, aut juventutem ipsius effecisse, ne ante annum Ol. XCIV. 3 vel vices avi in theatro gereret. Nihil igitur obstat, quominus veterum testium verba secuti Oedipum Coloneum a Sophocle majore paulo ante mortem scriptam et a minore primum scenae commissam esse statuamus; quid praeterea utrique tribuendum videatur, superius exposuimus; Thierschii vero opinionem [73]), qui omnino fabulam ab avo rudem et inchoatam relictam, a nepote demum absolutam et perpolitam esse conjecit, commemorare quam examinare malumus, ne in quaerendis dijudicandisque juvenilis ingenii vestigiis, quae ille significavit magis quam declaravit, totam fabulam ab integro percurrere cogamur. Mihi quidem, ut dicam quod sentio, si quid talibus indiciis tribuere licet, magis persuadent qui senem poëtam agnoscunt ex Oedipi descriptione, cujus imagine omnino Sophoclem animi sui sollicitudines expressisse veri simillimum est [74]), neque illud

73) Actt. Philoll. Monacc. T. I, p. 328; contrariam sententiam tuetur God. Hermannus p. XII sq.

74) Cf. et canticum v. 1212 sqq., ubi senectutis mala vividissimis coloribus depinguntur, praeterque Hoepfneri dissertationem superius laudatam, qui hunc potissimum locum diligenter tractasse dicitur in Seebodii krit. Bibl. 1825, p. 1009, Müllerum ad Aesch. Eumen. p. 172 sq.

me movet, quod nonnullae fabulae partes Euripideum verius quam Sophocleum ingenium referunt, ut junioris potius hominis manum, quique suae aetatis judicia quam antiqua exempla sequi maluerit, redolere videantur; modo enim Sophoclem ipsum per extremos vitae annos haec scripsisse statuamus, non mirabimur scenicum poëtam ut in Philocteta ita nunc quoque aliquid temporibus tribuisse seque ad mutata aequalium desideria composuisse; nec profecto minor earum partium numerus est, quas etiam si ab illo profectas esse non constaret, tamen propter ipsam praestantiam nemini praeterea tribui consentaneum esset. Sed haec et similia aliis libenter persequenda relinquimus; nunc satis est demonstrasse, nihil aut intra aut extra fabulam nostram inveniri, quod ab antiquis auctoritatibus discedere veterique memoriae fidem nos negare cogat, quod in quaestionibus ad externas librorum fortunas et historiae monumenta pertinentibus semper summum esse debet; alia causa est eorum quae ad interiorem artis existimationem ingeniumque poëtae dijudicandum pertinent, haec enim nostra aetate multo rectius atque subtilius quam antiquitus intelligi nota res est; attamen ob eam ipsam causam, quoniam suo cujusque temporis judicio magis quam certis rerum fundamentis nituntur, multo difficilius ad liquidum perduci possunt.

III.

DISPUTATIO
DE
SACRIS COLONI
ET
RELIGIONIBUS CUM OEDIPI FABULA CONJUNCTIS,

SCRIPTA

INDICENDIS NATALITIIS

AUGUSTISSIMI ELECTORIS

A. MDCCCXXXVII.

Jam antiquitus observatum est vix ullum fabularum orbem exstare, qui poëtis pariter ac scriptoribus largiorem commentandi materiam praebeat, quam qui ad Cadmi posteros regnique Thebani vicissitudines pertineat, idque in nostram quoque aetatem cadit, cui etsi ex tanta veterum monumentorum strage exigua modo fragmenta servata sint, tamen haec ipsa tam inexhaustam argumentorum copiam continent, ut si quis semel ad ea accesserit, aliam ex alia disputationem nectere cogatur, mihique ipsi jam tertiae scriptionis necessitatem una Oedipi fabula imponat. Nam quum initio Oedipum Regem tantum illustrare aggressus essem, ipse disputationis finis ad Coloneum me traduxit, quam quum nonnullos ad Periclem commendandum scriptam censere vidissem, simul cum mutata de Sophoclis in re publica partibus sententia hujus quoque indolem et consilium longe aliter explicari oportebat: hoc autem quum in eo potissimum posuissem, ut Sophoclem non tam civium suorum animos ad futurae victoriae spem erigere, quam sacrorum pagi sui natalis memoriam instaurare voluisse dicerem, res ipsa quasi flagitabat, ut illorum sacrorum religionumque vim et naturam paulo accuratius enar-

rarem eorumque conjunctionem cum ipso fabulae argumento demonstrarem; ac licet alioquin hanc operam ad illud tempus remittere potuissem, quum denuo me scholarum mearum cursus ad easdem tragoedias interpretandas retulisset, tamen quidquid nunc quidem in promtu haberem, Augustissimi Electoris natalitiis suo quodam jure deberi videbatur. Et fundamenta quidem hujus disputationis jam ab aliis viris eruditissimis ita jacta sunt, ut saepenumero lectores nostros ad eorum copias ablegare possimus [1]); quoniam tamen et horum ipsorum judicia ab aliis, quorum et ipsa auctoritas summa esse debet, acerrime impugnata sunt [2]), et magis ad Aeschylum quam ad Sophoclem illustrandum opera eorum pertinet, haud abs re fore duxi, si totam quaestionem ab integro ordirer, stabilitisque quae aut veteribus testimoniis certa aut probabili conjectura veri similia essent, ad Oedipi omnia fabulam conferrem eique quantum per temporis angustias liceret lucis affundere conarer. Primo autem adspectu una tantum e multis, quae Coloni sedem haberent, Oedipi Furiarumque sive Eumenidum religio fuisse videtur, quippe ubi et Neptuni et Minervae Equestrium aras et Thesei Pirithoique et

1) Cf. imprimis Welckerum in Aesch. Trilog. p. 388 sqq. et Müllerum ad Aesch. Eumen. p. 170 — 175, praetereaque Voelckerum in libro acuminis pleno: die Mythologie des Iapetischen Geschlechts (Gissae 1824. 8) p. 165 sqq.

2) Omnium maxime a Godofr. Hermanno in Wiener Jahrbb. T. LXV, p. 147 sqq. (Opuscc. T. VI, P. 2, p. 199 sqq.) et nuperrime a Lud. Prellero in libro quem inscripsit: Demeter und Persephone, ein Cyklus mythologischer Untersuchungen (Kiliae 1837. 8), p. 161 sqq.

Adrasti heroa Pausanias viderit [3]), ac Cereris praeterea et Minervae urbis praesidis ipsiusque Jovis fanum, nec Colonus modo pagi *ἐπώνυμος*, verum etiam Prometheus inter deos loci tutelares commemoretur [4]); quod si Oedipi potius quam Coloni antiquitates enarrare placet, ante omnia quaerendum erit, num quid ceterae illae religiones cum ipsius fabula commune habeant, aut aliquo certe vinculo inter se cohaereant, cujus orbis etiam Oedipi fortunam ambitu suo complectatur. Colonum igitur primum numero eximimus, cujus etsi aliis quoque Boeotorum religionibus nomen immixtum legimus [5]), tamen etiam si Oedipus in Atticam delatus non esset, colendum fuisse paganis cognominibus satis intelligitur; neque iis assentimur, qui aut inter ipsum et Prometheum aliquid necessitudinis praeter locorum viciniam [6]) investigare laborarunt, aut Thesei Pirithoique me-

---

3) Pausan. I. 30. 4: *δείκνυται δὲ καὶ χῶρος καλούμενος Κολωνὸς ἵππιος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα . . . καὶ βῶμος Ποσειδῶνος Ἱππείου καὶ Ἀθηνᾶς Ἱππείας, ἡρῷον δὲ Πειρίθου καὶ Θησέως Οἰδίποδός τε καὶ Ἀδράστου.*

4) Cf. omnino Meursium de populis Atticae in Gronov. Thes. T. IV, p. 735 et quae breviter etiam Oedipi Colonei editores Reisigius in Enarratione p. III et Wunderus p. 22 attulerunt.

5) Apud Plutarch. Quaestt. Gr. c. 40; T. VIII, p. 400 Hutten.

6) Quem enim Sophocles in Oedip. Colon. v. 56 commemoret *πύρφορον θεὸν Προμηθέα*, eundem esse, cujus in propinquo Ceramico aram vidit Pausanias I. 30. 2, jam Scholiasta intellexit, quum diceret: *παρὰ τοῦ τὸν Προμηθέα περὶ Ἀκαδημίαν καὶ τὸν Κόλωνὸν ἱδρῦσθαι*: cf. Müllerum ad Leake's Topographie von Athen, herausgeg. von A. Rienäcker (Halis 1829. 8), p. 462 inque primis Welckerum in Aeschyl. Tril. p. 120, ut profecto mireris hunc alio loco (p. 569) ita disserere potuisse: *ja man möchte bald vermuthen, daſs Aeschylus auch die Veranlassung gegeben habe, in der Nähe jenes Heiligthumes auch dem Prometheus das Andenken zu stiften, welches im Oedipus auf Kolonos erwähnt ist; gerade daſs der Platz, wo dem Prome-*

moriam propter aliam causam praeter descensum ad inferos, quo mox redibimus, Coloni cultam esse voluerunt [7]); Jovi autem et Minervae *πολιούχῳ* quod una cum Cerere Oedipum supplicasse Androtion tradiderat [8]), id quo fortasse modo cum reliquis hujus loci religionibus Oedipique fabula conciliari possit, inferius experiemur; aliquis semper error aut ipsius aut grammatici qui eum secutus est manebit, atque etiam si quis Jovem

---

theus in Bezug auf das Feuer und das Bilden in gebranntem Thone Ehren erwiesen wurden, so nahe war, läſst schlieſsen, daſs dort bei den Eumeniden der Aeschyleische versöhnte Prometheus verstanden ward! At Jovis ira, qua contumacem Prometheum prosecutus erat, neque a Furiis excitata fuerat, neque harum opera utebatur, quapropter nec venia accepta reconciliataque gratia video quid ipsi cum Eumenidibus rei fuerit, quoque rectius ipse Welckerus intellexit Prometheum in Ceramico propter operis fictilis inventionem consecratum esse, eo minus necessarium erat causam remotam ac prorsus alienam circumspicere.

7) Argutius quam verius etiam Rückertus (der Dienst der Athena, nach seinen örtlichen Verhältnissen dargestellt, Hildburghausen 1829. 8, p. 56), et Promethei et cetera sacra Colonensia ad publicas Atheniensium rationes et inimicitias cum Thebanis retulit: *der Einfluſs der attischen Politik auf die Heiligthümer von Kolonos ist nicht zu verkennen: dort verehrte man den Prometheus, den Vorsichtigen ... als die wachsame Vorhut gegen die thebanische Mark; dort fanden die Reiterschaaren Athen's, die gegen Theben auszogen, die Heroa des Theseus und Peirithoos, der Vorbilder attischer Ritterschaft, so wie das des Adrastus, der einst mit seinem Wunderrosse Arion gegen Theben gestritten hatte.* Scilicet faustum omen praebuisset vel Pirithous, quem hinc protinus in Orcum abiisse fama erat, vel Adrastus, qui, turpiter a Thebanus victus, exercitu amisso Coloni demum fugae finem fecisse ferebatur; recteque Boeotiae fines Prometheus observabat, qui tot inde passuum millibus remotus prope in ipsis Athenarum portis stationem haberet; cujus quam antiquum cultum Rückertus habuerit, inde existimari potest, quod aram in Academia ipsi tanquam philosophorum heroi positam esse statuit!

8) Hinc enim Schol. ad Odyss. XI. 271 inter alia haec retulit: *ὁ δὲ Οἰδίπους ἱκετεύων ὑπὸ Κρέοντος ἦλθεν ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ᾤκησεν Ἱππέα Κολωνὸν καλούμενον καὶ ἱκέτευεν ἐν τῷ ἱερῷ τῶν θεῶν, Δήμητρος καὶ Πολιούχου Ἀθηνᾶς καὶ Διός*: cf. Siebelis in ipsius Reliqu. p. 115.

quippe supremum deum ubique coli debuisse contendat [9]), alteri certe nisi cognomine abjecto locum inter deos δημούχους [10]) concedere non possumus. Longe alia Cereris causa est, quam quum alibi Oedipum hospitio suo excepisse legamus [11]) neque a Sophoclis fabula alienam esse appareat [12]), tantum abest ut et ipsam urbanis potius quam paganis numinibus annumeremus [13]),

---

9) Ut Welckerus p. 368: *daſs Zeus hineingezogen wird, ist das Gewöhnliche.*

10) Hoc enim nomine quasi *paganos* deos *urbanis* opponit poëta in Oedip. Colon. v. 454, ubi Wunderus lectores ad Blomfieldi Gloss. ad Aesch. Sept. c. Theb. v. 69 remisit; mire Ellendtius in Lexico Soph. T. I, p. 419 δημούχους ideo dici narrat, quod apud Athenienses sede accepta imprimis religiose colebantur, quasi ἐπήλυδας sive ἐπεισάκτους significet.

11) Cf. Lysimachum Alexandrinum apud Schol. Oedip. Colon. v. 91, ubi mortuum Oedipum, inquit, ἀνελόντες ἐκόμισαν εἰς Ἐτεωνὸν, βουλόμενοι δὲ λάθρα τὴν ταφὴν ποιήσασθαι, καταθάπτουσι νυκτὸς ἐν ἱερῷ Δήμητρος, ἀγνοήσαντες τὸν τόπον, καταφανοῦς δὲ γενομένου πέμψαντες οἱ τὸν Ἐτεωνὸν κατοικοῦντες ἐπειρώτων τί ποιῶσιν· ὁ δὲ θεὸς εἶπε, μὴ κινεῖν τὸν ἱκέτην τῆς θεοῦ, διόπερ αὐτοῦ τέθαπται, τὸ δὲ ἱερὸν Οἰδιπόδειον κληθῆναι: qua in narratione illud potissimum animadvertendum est, Oedipum quamvis mortuum tamen ἱκέτην τῆς θεοῦ dici, ut facile suspicemur, eum in primitiva fabulae forma pariter ut apud Sophoclem Colonum, ita Eteonum pervenisse ibique in fano obiisse; reliqua enim aniliter deturpata esse Müllerus in Orchom. p. 228 recte monet.

12) Ut mittam μεγάλας θεάς, quarum ἀρχαῖον στεφάνωμα narcissum Coloni florere gloriatur v. 684 (cf. Voſs. ad H. in Cererem p. 8), εὐχλόου Δήμητρος ἐπόψιον πάγον commemorat v. 1600, unde aquam Oedipo ad lavandum et libandum filiae petierint ταχεῖ σὺν χρόνῳ, ut eum in propinquo fuisse satis appareat.

13) Scilicet Prellerus p. 162 Androtionem de Cereris Chloes fano loqui putat, quod Pausanias (I. 22. 3) Athenis ipsis subter Acropolin situm vidit, quasi aut ipsum Coloni nomen apud illum non exstaret aut Cereris illius templum cum Jove et Minerva arcis praesidibus commune fuerit, quod de sua clare Androtion testatur; ne cui autem ab illo εὐχλόου cognomine patrocinium habere videatur, recogitandum est eandem pariter ut Eumenides simul et in urbe et Coloni coli potuisse, ipsumque virentis sive herbosae nomen toti Cereris indoli adeo convenire, ut ubique ei a poëta tribui liceret; neque illud necessarium ducimus, quod jure Hermannus p. 204 reprehendisse in Müllero videtur, ut duplicem Cererem Coloni cultam esse statuamus; quam enim

ut deam, quam ipsum nomen apud Graecos terram matrem habitam esse ostendat [14]), cum Furiis, Telluris filiabus [15]), arctissimo vinculo conjungere nulli dubitemus; utque concedamus, quod satis a viris doctis demonstratum est, nec Furias μεγάλαιν θεαῖν

---

initio Erinyn fuisse mox videbimus, eadem, postquam Furiae in Eumenides transierant, et ipsa naturam suam in mitius convertere poterat.

14) Δημήτηρ enim quasi Γῆ μήτηρ nominata est teste Cicerone de Natura Deor. II. 26; cf. Fabric. ad Sextum Emp. IX. 189 et Prellerum l. l. p. 366, qui licet eam originationem impugnet, tamen neque ipse meliorem attulit neque argumentis, quibus eam impugnavit, plus effecit, quam qui Apollinem pro Sole, Jovem pro Coelo haberi vetant. Quod enim Ovidio duce (Fast. I. 673) inter Terram et Cererem discrimen statuit, ut haec causam frugibus, illa locum praebeat, Cererisque numen ad agrorum potius culturam quam ad naturalem telluris vim pertineat, in poëtas maxime cadit, qui Homeri exemplum secuti deorum nomina et officia a rebus naturalibus ad civiles vitaeque humanae fundamenta revocarunt, illas autem quamvis fabulose suis tamen plerumque nominibus tractarunt (cf. Buttmanni Mythol. T. I, p. 11; Mülleri Prolegg. z. e. wissensch. Mythol. p. 374), non cadit in singularum gentium et locorum religiones, quas saepenumero antiquiorum fabularum formam cum ipsa locorum natura conjunctam retinere consentaneum erat, utque concedam inter has quoque fuisse, quae quia arctius cum cultiori vitae genere cohaererent, paulatim in vulgus reciperentur reliquarumque auctoritatem imminuerent, ut Eleusinias Cereris, Delphicas Apollinis, quarum illas proxime cum agrorum cultura conjunctas, has longissime a Solis cultu remotas fuisse non infitior, eas ipsas tamen a reliquis, quibuscum conflatae sunt, segregandas potius quam ad earum existimationem adhibendas censeo. Quae quum ita sint, secundum argumentum, quo monuit Dorienses, quibus forma δῆ propria esse dicatur, agrariam deam omnium minime coluisse, sua sponte evanescet, etiam si non ab ipso Prellero sublatum esset, qui illam formam doricam esse omnino negavit; ne autem hac observatione simul etiam originationem nostram sublatam existimemus, nomen de quo agitur ad antiquissimam sermonis aetatem redit, unde v. c. *dulcis* pro γλυκὺς Latini receperunt (cf. Maittaire de dial. l. gr. p. 375; Schneider's latein. Elementarlehre T. 1, p. 259), quodque huic rationi Prellerus opposuit, γνόφον potius quam δνόφον antiquam et aeolicam formam dici, non magis nos movet, quam si quis v. c. γᾶ pro γῆ doricum esse neget, quia haec dialectus ὁρῆν pro ὁρᾶν dici jubeat.

15) Cf. Soph. Oed. Col. 40: Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι, ubi Scholiasta: Ἴστρος δὲ ἐν τῇ τετάρτῃ μητέρα τῶν Εὐμενίδων Εὐωνύμην ἀναγράφει, ἣν νομίζεσθαι γῆν: cf. C. Rampe Erinnyes, Berol. 1831. 8, p. 8 sqq. Alii aliter; nos tamen in religionibus Coloneusibus Sophoclem auctorem nostro jure sequi nobis videmur.

appellationem cum Cerere et Proserpina communem habuisse [16], nec *Σεμνῶν* cognomen, quod Furiis in Attica solemne erat [17], cum illis communicari posse [18], tamen Eleusinias religiones minime moramur [19], modo eam Cererem retineamus, quam

---

16) Scilicet *νάρκισσον μεγάλαιν θεαῖν ἀρχαῖον στεφάνωμα* apud Sophoclem ad Furias retulerunt Eustathius ad Iliad. A. 205 et Scholiasta, qui tamen etsi Euphorionem testem laudat (cf. Meinek. ad Euph. p. 121), non movemur auctoritate hominis poëtarum magis lectione quam rerum cognitione eruditi, qui si Sophoclem perperam intellexerat, totus ejus locus inter *τὰ νεωτέρων ποιητῶν παρακούσματα*, ut ait Apoll. lex. Homer. p. 115. 33, referendus erit, qualia jam Aristarchus collegerat (cf. Lehrs de stud. Aristarchi p. 54) neque Euphorionem vitasse vel inde prodit, quod Homerum videlicet secutus deos *κόκους* dicere non erubuit, cf. Apollon. p. 133. 20. *Μεγάλας-θεὰς* autem Cererem et Proserpinam appellari solitas esse Pausanias VIII. 31. 1 testatur, neque erat cur Prellerus p. 170 hoc nomen vel Arcadiae proprium diceret vel ex religionibus Orientis Orphicorumque placitis derivaret, si quidem et in Messenia commemoratur et claris verbis ad Eleusiniam originem refertur apud eundem IV. 1. 4 et 14. 1; Furias contra jam propter dualem numerum apud Sophoclem intelligi non posse monuit Spanhemius ad Callim. H. in Cer. v. 122; quod enim Schol. Oedip. Colon. v. 39 Phylarcho auctore et ipsas duas tantum Athenis fuisse narrat, rectius quam Lobeckius in Aglaoph. p. 82 Silligius in Catal. Artif. p. 134 ita expedivit, ut Phylarchum duo tantum earum signa, quae Scopas fecerit, vidisse statuat, quibus tamen tertium posthac accesisse Clemens Alex. Protrept. p. 30 Sylb. testatur.

17) Pausan. I. 28. 6: *καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Σεμνάς, Ἡσίοδος δὲ Ἐριννῦς ἐν Θεογονίᾳ*: cf. eundem II. 11. 4, pluraque apud Meurs. Lectt. Att. IV. 1, Vales. ad Harpocr. p. 330, Osann. ad Philem. p. 162 etc.

18) Cf. Bast. Epist. crit. p. 104, cui quae opposuit Creuzerus in Symbol. T. IV, p. 328, Meinekius ad Menandr. p. 346 probabiliter refellit, quamvis ille et Vossium assentientem habeat (ad H. in Cer. p. 2: *die Attiker brauchten es vorzüglich von der mystischen Demeter und Persefone, und von den Eumeniden*) nec Prellerus sibi (p. 194) satis ab hac confusione caverit. Nimirum aliud est venerandas dici, quod omnibus diis pariter convenit, aliud ita nuncupari, ut nomen appellativum in proprium transeat; hoc autem sensu Furiae non minus proprie *Σεμναὶ* dictae esse videntur, quam *μεγάλων* nomen Cereri et Proserpinae peculiare erat.

19) Has enim quamvis indole et numine cognatas, tamen fabulis et ceremoniis admodum diversas, serius demum Erinyum sacris extrinsecus admixtas esse vel ipsa illa vicinia docet, qua et prope Thelpusam Eleusinium cum templo Erinyis Oncaeo (Paus. VIII. 25. 2) et Athenis cum Eumenidum fano subter Areopagum (Paus. I. 28. 6) conjungebatur, situ tamen et spatio discreto,

ipso Erinyis nomine apud Arcadiae oppidum Thelpusam cultam esse constat [20]). Hanc autem non verbo tantum tenus, ut Hermanno placuit [21]), sed re ipsa cum iis numinibus, quae Coloni colebantur, conjunctam fuisse, inde apparet, quod Neptuno

---

ut eadem illorum ratio fuisse videatur, quae Bacchi sacrorum in Attica, quae quum origine atque aetate diversissima essent (Thucyd. II. 15), postmodo unius fani circuitu quamvis duplici templo inclusa sunt (cf. Paus. I. 20. 2 et Boeckh. in Abhh. d. Berl. Akad. 1816 — 17, p. 47 sqq.), atque hac in causa cum Prellero facio contra Völckerum, qui fabulas Thelpusaeas nullo discrimine ad Eleusiniorum arcana refert. At aliam esse Cererem Eleusiniam, aliam Arcadum Erinyn Creuzerus quoque in Symbol. T. IV, licet p. 78 non satis distinxerit, p. 349 recte monet, ipsoque Pausaniae testimonio VIII. 37. 6, quo Voelckerus p. 166 utitur, apparet Arcadum Despoenam, Cereris Erinyis filiam ex Neptuno Equestri, cujus superius (VIII. 25. 5) nomen *ἐς ἀτελέστους λέγειν* noluerat et nunc quoque haesitat, cum Cora Eleusiniorum, Jovis et Cereris filia, comparari potius quam confundi, quamquam confusas quoque mature esse ipsa illa *μεγάλαιν θεαῖν* commemoratio apud Sophoclem suadet, quo nomine Pausanias non Despoenam sed Coram cum Cerere comprehendit.

20) Pausan. VIII. 25. 3: *μετὰ δὲ Θέλπουσαν ἐπὶ τὸ ἱερὸν τῆς Δήμητρος ὁ Λάδων κάτεισι τὸ ἐν Ὀγκείῳ, καλοῦσι δὲ Ἐρινὺν οἱ Θελπούσιοι τὴν θεόν, ὁμολογεῖ δέ σφισι καὶ Ἀντίμαχος, ἐπιστρατείαν Ἀργείων ποιήσας εἰς Θήβας, καί οἱ τὸ ἔπος ἔχει·*

Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐρινύος εἶναι ἕδεθλον:

unde apparet, quo jure Prellerus p. 151 et 163 Callimachum demum et Lycophronem Cererem Erinyn dixisse contenderit, scilicet ut Cererem suam a furiosi nominis contagione liberaret, quasi Arcades consentaneum fuisset in colendis diis poëtarum Alexandrinorum auctoritatem sequi, quos potius antiqui moris et religionis tenacissimos fuisse recte monuit Kampe l. c. p. 6.

21) Cf. Opuscc. l. c. p. 201: *so sind die Furien und die Demeter Erinys ganz verschiedene Wesen, denen das gleichnamige Prädicat des Zögerns in ganz verschiedener Beziehung zukommt.* Scilicet *ἐριννὺν* ab eo quod est *ἐλιννύειν* dictam vult, quod quomodo fieri potuerit, recte Prellerus p. 167 dubitavit, multoque aptiorem originem indicavit in voce *ἔρις*, unde *ἐρινύω* factum esset, ut *δαινύω* ab eo quod est *δαίς*, modo de ipso illo verbo *ἐρινύειν* constaret, quod etsi Pausanias et Etymologus apud Arcades idem quod *ὀργίζεσθαι* sive *τῷ θύμῳ χρῆσθαι* significasse tradunt, tamen haud scio an ipsius demum nominis explicandi causa fictum sit simili autoschediasmate quo erant qui *τρίζω caput, ὅμηρον caecum, θῆβαν vaccam, ἐλλοτίαν virginem* interpretarentur; nec multum repugnem, si quis cum Kampio l. c. p. 43 ad priscum illud *ἔρα* redeat, quo *terram* significari multis compositis et derivatis constat.

quoque Equestri, quem praecipuum Coloni praesidem ac patronum novimus [22]), ab ipsis Arcadibus ita adjungebatur, ut et Despoenam filiam et Arionem equum ex eo peperisse traderetur [23]), nec dissimilis fabula erat Coloni, Neptunum semine in terram emisso equum Scyphium nomine procreasse [24]), qui quod terra potius quam Cerere editus esse videatur, ipsam Cererem pro Tellure habendam esse modo monuimus; quid quod Arionem quoque Antimachus, poëta doctissimus, Telluris filium dixerat [25]), ac ne hunc quidem a Coloni religionibus alienum fuisse docet heroon Adrasti [26]), quem quum illius potissimum merito salvum

22) Cf. Soph. Oed. Col. v. 55 et Eurip. Phoen. v. 1700: *ἱερὸς Κολωνὸς δῶμά θ' ἱππίου θεοῦ.*

23) Paus. VIII. 25. 5; Tzetzes ad Lycophr. v. 153; cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 402 et T. IV, p. 74.

24) Tzetzes ad Lycophr. v. 766: *εἶπον δὲ ὄπισθεν ὅτι μιγεὶς τῇ Ἐρινύϊ Δήμητρι Ἀρείονα ἵππον ἐγέννησεν· ἄλλοι δέ φασιν ὅτι καὶ περὶ τὰς πέτρας τοῦ ἐν Ἀθήναις Κολωνοῦ καθευδήσας ἀπεσπέρμηνε καὶ ἵππος Σκύφιος ἐξῆλθεν, ὃς καὶ Σκιρωνίτης λέγεται.* Eundem, nomine tantum depravato, Thessaliae tribuit Etymol. M. p. 473. 43: *ἵππιος ὁ Ποσειδῶν, ὅτι δοκεῖ πρῶτον ἵππον γεγεννηκέναι Σίσυφον ἐν Θεσσαλίᾳ, τῇ τριαίνῃ πέτραν παίσας*: unde Servius ad Virg. Georg. I. 12, postquam equum a Neptuno progenitum alios *Scythium*, alios *Schironem*, alios *Arionem* nominasse annotavit, *sane*, inquit, *hunc equum cujuscunque nominis alii apud Arcadiam, alii in Thessalia editum dicunt.*

25) Cf. Pausan. VIII. 25. 5 et Schellenberg. ad Antim. Fragm. p. 65.

26) Welckero adeo in Appendice ad Schwenckii etymol. mythol. Andeutungen (Elberf. 1823. 8) p. 303 propter Arionem tantum Coloniatae Adrastum quoque dominum ejus coluisse videntur, probabilius certe quam quod Siebelis ad Pausan. T. I, p. 112 existimat ex Thesei rebus intelligi, cur ille heroi particeps factus fuerit; vide tamen ne ipsius Adrasti nomen ad Furiarum vim inevitabilem pertineat, sicut etiam Nemesin Adrasteam dictam esse constat, cf. Creuzeri comm. Herodott. p. 219; Arionem certe equum pernicissimum, quo apud Hesiodum (Scut. Herc. v. 120) Hercules utitur, Adrastus propter nominis tantum significationem accepisse videtur.

ex pugna cum Thebanis evasisse vetus fama esset [27]), illic demum equorum cursum inhibuisse ferebant atque inde Neptuni et Minervae Equestrium cognomen derivabant [28]), ut nihil dubitationis remanere possit, quin vel mater Arionis, quae ferebatur, una cum patre pagum illum tenuerit, vel quum eadem modo Cereris modo Furiae nomine appelletur [29]), cum Furiis, quae ibidem colebantur, uno eodemque loco habenda sit [30]). Quod enim nuper Prellero visum est, haec omnia ex nescio quibus poëtarum figmentis sero demum ita composita esse et quasi ex diversis partibus in unum coiisse, ut primum quidem Arion equus, Neptuni Equestris progenies, quia ad ulciscenda The-

---

27) Apollod. III. 6. 8: *Ἄδραστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρείων· τοῦτον ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Δημήτηρ εἰκασθεῖσα Ἐρινύϊ κατὰ τὴν συνουσίαν*: cf. Strabo IX, p. 404 et Schol. Eurip. Phoen. v. 412.

28) Cf. Bekk. Anecdd. p. 350. 30 et Etymol. M. p. 474. 34: *ὅτι Ἄδραστος Θήβηθεν φεύγων ἐπὶ Κολωνῷ στήσας τοὺς ἵππους Ποσειδῶνα καὶ Ἀθηνᾶν ἱππίους προσηγόρευσεν.*

29) Eustath. ad Iliad. Ψ. 344: *Ἀρείων δὲ ἵππου ὄνομα, ᾧ ἐποχούμενος Ἄδραστος ἐν τῷ Θηβαϊκῷ πολέμῳ διέδρα τὸν θάνατον εὐτυχῶς . . . θεῖον δὲ γένος ὁ Ἀρείων, ὅτι κατὰ τὸν μῦθον Ποσειδῶνος καὶ Ἁρπυίας ἢ Ἐρινύος γενεαλογεῖται*: quarum fabularum utra antiquior sit, docte tradit Schol. Victor. p. 613 Bekk.: *οἱ δὲ νεώτεροι Ποσειδῶνος καὶ Ἁρπυίας αὐτὸν γενεαλογοῦσιν, οἱ δὲ ἐν τῷ κύκλῳ Ποσειδῶνος καὶ Ἐρινύος*: cf. Preller. l. c. p. 155.

30) Recte Prellerus p. 157: *denn Demeter Erinys ist wirklich eine der Furien*, ut Hesychius T. I, p. 536: *Ἀρείων ὁ ἵππος Ποσειδῶνος υἱὸς καὶ μιᾶς τῶν Ἐρινύων*: quanquam rectius etiam Kampius p. 10 singularem numerum, ut apud cyclicos erat, antiquiorem censet, Musas comparans, quarum et ipse numerus singularis plurali antiquior videatur; utque Memoriam sive Monetam Musarum matrem ferri videmus, quam alii ipsi earum coetui insererent (Pausan. IX. 29. 2; cf. Nitzsch. prooem. ind. lectt. aest. 1834 in Seeb. et Jahn. Archiv. T. IV. p. 47), ita prorsus consentaneum erat postmodo unam ex Furiis haberi, quae initio sola fuisset atque ex se demum, ut superius vidimus, illas edidisset.

banorum scelera cum Adrasto proficisceretur, Erinyn matrem acceperit, deinde vero, quum apud Antimachum terram matrem nactus esset, hac cum Cerere permutata et duabus matribus fabulosis inter se confusis et conflatis, Cereris Erinyis filius exstiterit, atque ita demum haec in Neptuni matrimonium concesserit — id nescio utrum magis contra veterum auctorum fidem an contra rei ipsius naturam excogitatum dicam. Nam ut omittam totam ratiocinationem vel hac sola re concidere, quod idem Antimachus, qui Arionem terra editum finxit, nihilominus etiam Cereris Erinyis templum novit (vid. not. 20), mirum esset recentiorum quorundam poëtarum argutias adeo valuisse, ut tota fere Peloponneso, ubicunque Neptunus Equester coleretur, simul et Cereris fanum in propinquo esset [31]), ipsique Thelpusaei propter

---

31) Sic apud Pheneatas in Arcadia Pausanias (VIII. 14) et Neptuni Equestris signum et templum Cereris commemorat, quam quod Eleusiniam appellat, rationes nostras neutiquam turbat, si recordamur, quod superius jam significavi, eodem modo quo Atheniensium Apollo Patricius, quem Ionicum fuisse consentaneum est, postmodo in Delphicum hoc est Doricum mutatus est (cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 96, n. 8 — 12; Lachmann, die spartan. Staatsverf. p. 40), ita Eleusinium cultum paulatim plurima Cereris sacra occupasse; quid quod interdum etiam antiquae religionis memoria ita servabatur, ut praeter deas Eleusinias etiam Terrae signum eodem templo includeretur, ut Patris in Achaja, ubi Pausanias (VII. 21) postquam de Neptuni Equestris cognomine disputavit, ad Cereris templum transgressus, *αὐτὴ μέν*, inquit, *καὶ ἡ παῖς ἑστᾶσι, τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς γῆς ἐστὶ καθήμενον*: neque alia causa est Rheae sive Matris deorum (cf. Schwenck. etymol. mythol. Andeut. p. 92 — 101), quam et ipsam cum Cerere et Neptuno Equestri conjunctam vidit in magno Despoenae fano ad montem Maenalium (VIII. 37), Mantineae autem (VIII. 10) *ὑπὲρ τοῦ σταδίου*, inquit, *τὸ ὄρος ἐστὶ τὸ Ἀλήσιον διὰ τὴν ἄλην, ὥς φασι, καλούμενον τὴν Ῥέας, καὶ Δήμητρος ἄλσος ἐν τῷ ὄρει, παρὰ δὲ τοῦ ὄρους τὰ ἔσχατα τοῦ Ποσειδῶνός ἐστι τοῦ Ἱππίου τὸ ἱερόν*, quae si quis omnia fortuito sic conjuncta esse statuat, ne is parum recte veterum diligentiam in sacris condendis existimabit.

Arionem equum, cui per dominum Adrastum demum aliqua cum Furiis necessitudo intercederet, quam pridem coluissent Erinyn ad Terram primum, mox ad Cererem traducerent; tantumque abest ut si quid nostris judiciis absonum vel obscaenum in vetere fabula videatur, poëtarum commentis tribuendum sit, ut multo saepius ipsam antiquissimorum temporum simplicitatem referat, poëtis autem ea potius debeamus, quae concinnandae explicandaeve rei extrinsecus accesserint. Sic inter ea, quae Prellerus in hac fabula satis multa reprehendit [32]), sunt quidem quae et ipsi ab iis demum profecta existimamus, qui aut Eleusinias fabulas Arcadicis admiscerent aut naturalem rei speciem sequerentur, ut verbi causa si Cererem in equam mutatam dicebant, quia non intelligebant, quomodo ex deo et dea equus nasci posset; quod autem illud quoque absurdum esse ait, deam agrestem in Furiarum numerum referri, jam non amplius poëtam aliquem fabularumve interpretum, sed ipsa Thelpusaeorum sacra incusat, nec profecto considerate egit, dum antiquam religionem a locupletissimo teste proditam ad fictiones grammaticorum vel interpretum somnia relegare quam causas ejus indagare maluit, praesertim quum haud adeo difficile sit ad intelligendum, quod jam

---

32) P. 187: *So wurde dann aus der Ge des Antimachos und der Erinys der Thebais eine Demeter Erinys. Wie absurd, die Ackergöttin unter die Erinyen zu versetzen; wie häſslich diese Stuten-Maskerade, wie ungereimt endlich, Demeter sei in die Gegend gekommen, um Persephone zu suchen, und hernach, sie habe diese erst vom Poseidon empfangen und geboren!*

Plutarchus prudenter intellexisse videtur [33]), utriusque numinis commune quoddam vinculum cerni in locis subterraneis, unde et Cererem Chthoniae nomen accepisse constat [34]), et Furias jam apud Homerum ad puniendos impios progredi videmus [35]); atque etiam si de reliquorum locorum situ ac natura anceps judicium sit, Coloni certe vel ipsum aenei liminis nomen, quod dudum observatum est Eumenidum fano cum Tartaro Homerico et Hesiodeo commune esse [36]), locum fuisse ostendit, ubi via ad inferos patere videretur, quo quum etiam ex aliis Atticae fabulis

---

33) In Quaestt. Sympos. III. 1. 3, ubi de narcisso loquens: *διὸ*, inquit, *καὶ ὁ Σοφοκλῆς αὐτὸν ἀρχαῖον μεγάλων θεῶν στεφάνωμα, τοῦτ' ἐστὶ τῶν χθονίων, προσηγόρευσε*: cf. Clem. Alex. Paed. II, p. 78 Sylb. et Creuzeri Praep. ad Plotin. de Pulcr. p. XLIX.

34) Cf. Creuzeri Symbol. T. IV, p. 28 et 37; Lobeck. Aglaoph. p. 241; Preller l. c. p. 199.

35) Iliad. IX. 457 et 572; cf. Kampe l. c. p. 18. Chthoniis diis et ipsas annumerat Artemidorus Oneirocr. II. 34.

36) Cf. Iliad. VIII. 15 et Theog. v. 811, cujus verbis:

ἐνθάδε μαρμάρεαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδὸς
ἀστεμφὲς ῥίζῃσι διηνεκέεσσιν ἀρηρώς,

paene integra respondent Sophoclea in Oed. Col. v. 1590:

ἐπεὶ δ' ἀφῖκτο τὸν καταῤῥάκτην ὀδόν,
χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐῤῥιζωμένον:

totumque adeo locum Furiis sacrum, quem primo adventu Oedipus calcaverat, *χαλκόπουν ὀδὸν* appellat idem v. 57, ubi quod ait Scholiasta: *ὡς οὕτω τινὸς καλουμένου τόπου ἐν τῷ ἱερῷ· φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος δι' αὐτοῦ κατάβασιν εἶναι εἰς ᾅδου ... καί τις τῶν χρησμοποιῶν φησί·*

Βοιωτοὶ δ' ἵπποιο ποτιστείχουσι Κολωνὸν,
ἔνθα λίθος τρικάρανος ἔχει καὶ χάλκεος οὐδός,

simul etiam priorem locum illustrat, si quidem triceps ille lapis aperte notat trivium, in quo Oedipus in Orcum descendere parans consistit (v. 1595), modo ne cum Brunckio et Wundero scribendo *ἀφ' οὗ* pro *ἐφ' οὗ* quadrivium pro trivio efficiamus; trivia autem et ipsa diis inferis sacra fuisse ex Hecates fabulis constat, neque adeo repugnem, si quis cum Vossio (Mythol. Briefe T. III, p. 208) hanc vel iis religionibus, de quibus nunc agimus, immisceat.

relata sint, quae aliquam cum Orco communionem haberent[37]), proprias et peculiares ejus pagi religiones infernis annumerare non dubitabimus. Difficilior quaestio est de Neptuno et Minerva, qui quum alias inter se contendisse de terrae Atticae tutela dicantur, hic Equestrium nomine arctissime junguntur[38]), neque aut

---

37) Cf. Schol. Oedip. Colon. v. 1593: *κοίλου πέλας κρατῆρος, τοῦ μυχοῦ· τὰ γὰρ κοῖλα οὕτω ἐκάλουν ἐκ μεταφορᾶς, ὅθεν καὶ τὰ ἐν τῇ Αἴτνῃ κοιλώματα κρατῆρες καλοῦνται. Λέγει δὲ οὗ καταβῆναί φασι τὴν Κόρην ἁρπαγεῖσαν· Πειρίθου τε φησὶ κεῖται συνθήματα οἷον ὑπομνήματα τῆς πίστεως ἧς ἔθεντο πρὸς ἀλλήλους τῆς εἰς ᾅδου καταβάσεως*: unde simul etiam intelligitur, quomodo Thesei Pirithoique heroon, quod Pausanias Coloni vidit (vid. not. 3), constitui potuerit; quod enim idem in ipsa urbe similem locum cerni tradit (I. 18. 5), *ἔνθα Πειρίθουν καὶ Θησέα συνθεμένους ἐς Λακεδαίμονα καὶ ὕστερον ἐς Θεσπρωτους σταλῆναι λέγουσι*, eodem modo existimandum est, quo superius (vid. not. 13) de Cerere *εὐχλόῳ* disputavimus, ut eadem sacra duobus locis exstitisse meminerimus, neque quidquam inde in nostrum usum converti potest, nisi quod fortasse Colono quoque similem specum tribuere licebit, qualem illic Pausanias narrat §. 7: *ἐνταῦθα ὅσον ἐς πῆχυν τὸ ἔδαφος διέστηκε καὶ λέγουσι μετὰ τὴν ἐπομβρίαν τὴν ἐπὶ Δευκαλίωνος συμβᾶσαν ὑποῤῥυῆναι ταύτῃ τὸ ὕδωρ*: craterem certe, quem Sophocles dicit, non est cur Scholiastam secuti ad ipsam loci naturam referre dubitemus, et Proserpinae quoque raptus licet ex Eleusiniis demum fabulis translatus tamen aliquam ibi cum Plutoniis similitudinem visam esse suadet.

38) Cf. Sophoclis Oed. Col. v. 1070 praetereaque Pausan. V. 15. 4 et Völckerum l. c. p. 171; nec multum abest, quin etiam illum Pausaniae locum, quo jam superius not. 31 usus sum (VIII. 14. 4) huc quoque retraham, ubi licet Tritonia potius Minerva cum Neptuno Equestri juncta sit, id ipsum tamen cognomen quam omnino ad loca Neptunia (Müller Orchom. p. 355) tum imprimis ad Libyam nos remittit, quam ut Her. II. 50 Neptuno, ita Schol. Pind. Pyth. IV. 1 Minervae Equestri patriam tribuit, nec dubitari potest quin haec ipsa sit, quam Her. IV. 188 una cum Neptuno ad lacum Tritonidem in Africa coli narrat; quae autem dona ab utroque Libyes accepisse tradit Steph. Byz. s. v. *Βάρκη: οἱ τὰς ἱπποτροφίας παρὰ Ποσειδῶνος, ἡνιοχεῖν δὲ παρὰ Ἀθηνᾶς ἔμαθον*, eadem sunt, quibus plerique Neptuni et Minervae Equestrium munera distinguunt, ut ab illo creatum, ab hac domitum equum statuant (Böttiger Ideen zur Kunstmythol. T. II, p. 327; Creuzer Symbol. T. II, p. 783; Preller p. 152) eoque etiam *χαλινίτιδος* cognomen referant, quod apud Corinthios Minerva gessit (Paus. II. 4. 1), etsi Attica, si Sophoclem sequimur (Oed. Col. v. 714), Neptuno vel frenorum inventionem tribuebat; cf. etiam Völckerum p. 154 sqq.

illud apparet, quomodo Atticae, cujus solum equis alendis non admodum idoneum fuisse constat, eorum potissimum deorum cultus conveniat, aut quid Cereri rei fuerit cum Neptuno, quam aquas marinas fugere potius quam amplecti consentaneum esset [39]; comparatis tamen et aliis et imprimis Arcadiae sacris, unde modo etiam Cereris cum Furiis conjunctioni qualemcunque lucem attulimus, haud scio an etsi non omnes difficultates tolli, ita tamen omnia probabili conjectura inter se conciliari possint, ut quaecunque numina sedem Coloni habuerint, mutuis inter se vinculis contineri viresque naturae cum religionibus inde provenientibus exprimere appareat. Et Minervam quidem luculento Pausaniae testimonio discimus, quae apud Manthurienses in Arcadia *Ἱππίας* nomen gessisset, a Tegeatis aliisque Peloponnesi gentibus eandem cum sua *Ἀλέᾳ* habitam esse [40], quam sive teporem agros fecundantem interpretemur [41], sua sponte ad vim terrae frugiferam redibit, sive cum aliis [42] ab effugio et salute impertienda repetamus, non diversa erit ab ea quam *Σωτείρας*

---

39) Quam enim causam affert Plutarchus in Quaestt. Sympos. IV. 4, 3, quia *sales* admixti *panem* jucundiorem faciant, admodum puerilis est; quod tamen *Δήμητρος σύνναον τὸν Ποσειδῶνα* esse testatur, lubentissime accipimus.

40) Pausan. VIII. 47. 1: *τὸ δὲ ἄγαλμα ἐν Τεγέᾳ τὸ ἐφ' ἡμῶν ἐκομίσθη μὲν ἐκ δήμου τοῦ Μανθουριέων, Ἱππία δὲ παρὰ τοῖς Μανθουριεῦσιν εἶχεν ἐπίκλησιν . . . Ἀλέαν μέντοι καλεῖσθαι καὶ ταύτην ἔς τε Ἕλληνας τοὺς ἄλλους καὶ ἐς αὐτοὺς Πελοποννησίους ἐκνίκηκε.*

41) Ut Müllerus de sacris Min. pol. p. 7: *calor almus ac lenis, qualis novellis maxime satis conducit;* cf. Welcker. Aesch. Tril. p. 172 sqq.

42) Creuzero (Symbol. T. II, p. 771 sqq.), Rückerto (der Dienst der Athena p. 150), Hermanno (de Graeca Minerva diss. Lips. 1837. 4, p. 10) etc.

nomine una cum Neptuno in Boreo monte Ulyxem consecrasse legimus [43]), hanc autem etiam propius ad Cereris necessitudinem accessisse suadet, quod idem Pausanias testatur *Σώτειραν* Proserpinae nomen apud Arcades fuisse [44]), eique Megalopoli eosdem deos Aesculapium et Hygeam adjunctos vidit, quos Tegeae Minervam sive Aleam sive Hippiam secum habuisse narrat [45]); neque ab ipsis Chthoniorum deorum sacris Minervam alienam fuisse Hermionensium exemplum docet [46]), qui eam in Chthoniae fano cum Cerere eodem modo conjunxerunt, quo apud Androtionem Coloni factum legimus, ut haud sciam an Jovem quoque, quem hic tertium addidit, non Urbis praesidem nec deorum hominumque patrem, sed inferorum regem existimare praestet, quem et Sophocles subterraneum Jovem appellat [47]) et apud Her-

---

43) Cf. Pausan. VIII. 14. 4, ubi non negligendum est eundem Ulyxem etiam Pheneï Neptuni Equestris signum constituisse dici, quod modo (not. 38) una cum Tritoniae fano commemoravimus; nec fortasse praetermitti debet ejusdem donarium Minervae Vialis (*κελευθείας*) signum in urbe Sparta a Pausania (III. 12. 4) commemoratum, quanquam haec vestigia nunc quidem longius persequi non vacat.

44) Paus. VIII. 31. 1: *τὴν Κόρην δὲ Σώτειραν καλοῦσιν οἱ Ἀρκάδες*. Quid quod *Κορίας* quoque nomine Minervam coluerunt (Paus. VIII. 21. 3), quam ut huc potissimum referre ne dubitemus, Ciceronis testimonium facit, qui eam *quadrigarum inventricem* ferri tradit (Nat. Deor. III. 23); nec defuerunt qui omnino Minervam et Proserpinam inter se confunderent, cf. Athenag. leg. pro Christ. c. 20.

45) Paus. VIII. 31. 1 et 47. 1.

46) Paus. II. 35. 4, qui quod *ἀγάλματα οὐκ ἄγαν ἀρχαῖα* dicit, ad artificium tantum spectat, non ad cultum.

47) Oed. Col. v. 1606: *κτύπησε μὲν Ζεὺς χθόνιος*, ubi plura Musgravius. Doederleinius quidem opus esse negat, ut de Jove infero i. e. Plutone intelligatur, Olympium enim Jovem etiam motuum subterraneorum auctorem haberi; at, opinor, Pluto nihil aliud est nisi Jupiter ad inferos translatus, Olympio autem quid cum subterraneis locis rei esse possit, non intelligo.

mionen Clymeni nomine cultum esse constat [48]). Specus certe, ubi descensus ad inferos patere videretur, etiam Hermionae exstabat, unde Hercules Cerberum ex Orco ad lucem protraxisse ferebatur [49]), idemque licet ad alia quoque Peloponnesi loca, ut Taenarum et Troezena referri videamus [50]), ne haec quidem a quaestione nostra aliena sunt, quia simul etiam Neptuni sacra habebant, quae fidem faciunt Coloni quoque aliquid necessitudinis Neptuno Equestri cum religionibus infernis intercessisse; et Taenari quidem ipsum ejus templum speluncae formam habebat, ut deus ipse jam inter inferos versari videretur [51]), Troezene autem licet Cerberi fabula cum Dianae potius fano con-

---

48) Paus. II. 35. 5: *τοῦ θεοῦ δ᾽ ἐστὶν ἐπίκλησις ὄντινα ἔχει λόγος βασιλέα ὑπὸ γῆν εἶναι*: cf. Creuzeri Symbol. T. IV, p. 38 et Boeckh. ad Corp. Inscr. T. I, p. 598.

49) Paus. II. 35. 7: *ἐν δὲ τῷ τοῦ Κλυμένου καὶ γῆς χάσμα, διὰ τούτου δὲ Ἡρακλῆς ἀνήγαγε τοῦ ᾅδου τὸν κύνα κατὰ τὰ λεγόμενα ὑπὸ Ἑρμιονέων.*

50) De Troezene Paus. II. 31. 2: *ἐν τούτῳ δέ εἰσι τῷ ναῷ (Ἀρτέμιδος Σωτείρας) βωμοὶ θεῶν τῶν λεγομένων ὑπὸ γῆν ἄρχειν, καί φασιν ἐξ ᾅδου Σεμέλην τε ὑπὸ Διονύσου κομισθῆναι ταύτῃ καὶ ὡς Ἡρακλῆς ἀναγάγοι τὸν κύνα τοῦ ᾅδου*: de Taenaro idem III. 25. 4: *ἐποίησαν δὲ Ἑλλήνων τινὲς, ὡς Ἡρακλῆς ἀναγάγοι ταύτῃ τοῦ ᾅδου τὸν κύνα*, licetque subjungat: *οὔτε ὑπὸ γῆν ὁδοῦ διὰ τοῦ σπηλαίου φερούσης, οὔτε ἕτοιμον ὂν πεισθῆναι θεῶν ὑπόγαιόν τινα εἶναι οἴκησιν*, eandem tamen fabulam Strabo VIII, p. 363 refert.

51) Paus. III. 25. 4: *ἐπὶ δὲ τῇ ἄκρᾳ ναὸς εἰκασμένος σπηλαίῳ καὶ πρὸ αὐτοῦ Ποσειδῶνος ἄγαλμα.* Aliam praeterea, si quis audacior nobis fuerit, Neptuni Taenarii cum Coloneo comparandi ansam arripere possit, si neglecto orthographiae discrimine, quod a grammaticis excogitatum est (Eustath. ad Iliad. p. 1304) Arionem poëtam, cujus monumentum Taenari exstabat (Herod. I. 24) cum Arione Neptuni sobole comparet, qui pro locorum diversitate non minus delphini quam equi formam accipere potuerit, Taenariosque nominis similitudine inductos signum, quod hujus esset, ad illum transtulisse statuat; sed has hariolationes fore facile confiteor, quanquam illius donarii fides jam ab aliis in dubitationem vocata est, cf. Mülleri Dor. T. II, p. 369 et Welckerum in Rh. Mus. T. I, p. 392 sqq.

juncta esset, tamen et hujus cognomen *Σώτειρα* idem erat quod Minervae, quam superius una cum Neptuno ab Ulyxe consecratam fuisse diximus [52]), utque ad Taenarii Neptuni fanum in urbe Sparta Minervae signum adstabat [53]), ita in arce Troezenia Minervam et Neptunum conjunctos praesidere creditum est [54]); quibus si insuper Orestis memoriam adjecerimus, quem Troezene pariter ut Athenis lustratum et a Furiarum persecutione liberatum ferebant [55]), Neptuno Phytalmio, quem extra urbem tantum Troezenii colebant [56]), ne indigere quidem videmur ut intelli-

---

52) Cf. not. 43, ubi quam commemoravi Minervam *κελεύθειαν*, haud scio an et ipsa cum Diana sive Hecate *ἐνοδίᾳ* comparari possit, quam eandem cum Proserpina habitam esse constat, cf. Vossii Mythol. Br. T. III, p. 208. Ulyxes certe quibus de causis Minervae signa consecrasse dicitur, similes sunt iis, quapropter Theseum Dianae Troezeniae *Σωτείρας* nomen imposuisse Pausanias narrat (II. 31. 1: *ἡνίκα Ἀστερίωνα τοῦ Μίνω καταγωνισάμενος ἀνέστρεψεν ἐκ τῆς Κρήτης*), hanc autem Creuzerus in Symbol. T. IV, p. 172 ad Proserpinae numen referre eo minus dubitat, quo insignior ejus cultus in Sicilia fuerit, ubi Dianam et Proserpinam pari loco fuisse Callimachi testimonio probat Schol. Pind. Nem. I. 3.

53) Paus. III. 12. 5: *τούτων δὲ οὐ πόῤῥω τέμενος Ποσειδῶνος Ταιναρίου . . . οὐ μακρὰν δὲ Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ὃ τοὺς ἐς Ἰταλίαν τε καὶ Τάραντα ἀποικισθέντας ἀναθεῖναι λέγουσι*: haec enim non loci tantum verum etiam religionis vinculo conjungi Tarentinorum colonorum mentio docet, qui sub ipsius Neptuni Taenarii tutela profecti erant, cf. Müller Dor. T. I, p. 126.

54) Pausan. II. 30. 6: *καὶ διὰ τοῦτο Ἀθηνᾶν τε σέβουσι Πολιάδα καὶ Σθενιάδα ὀνομάζοντες τὴν αὐτὴν καὶ Ποσειδῶνα βασιλέα ἐπίκλησιν.*

55) Ibid. II. 31. 7: *τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ (Ἀρτέμιδος) ναοῦ λίθον, καλούμενον δὲ ἱερὸν, εἶναι λέγουσιν ἐφ' οὗ ποτε ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα Ὀρέστην ἐκάθηραν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρὸς κ. τ. λ.*

56) Paus. II. 32. 7: *ἔστι δὲ ἔξω τείχους καὶ Ποσειδῶνος ἱερὸν Φυταλμίου*, quem Creuzerus T. IV, p. 77 et Voelckerus p. 163 sqq. ad Erinyem etiam Cererem referunt, quippe *genitalem* sive *sativum*, Prellerus autem p. 164 tanquam Ionicae gentis auctorem pari cum *πατρῴῳ* loco habendum existimat, neque nobis tutum visum est ejus numine uti, quia Legiferam potius Cererem vicinam habet, quae ad aliud fabularum genus pertinet.

gamus, quod etiam antiqua Atheniensium cum Troezeniis necessitudine commendatur, Coloni sacra, quotquot ad deorum numina pertinebant, non modo fortuita loci communione, sed arctiore numinum affinitate conjuncta fuisse ipsumque Neptunum pagi praesidem non tam propter nescio cujus rei equestris tutelam quam propter vim aliquam tellustrem et potestatem in loca subterranea vicinam Cereri Furiisque sedem habuisse. Neque Equestris cognomen adeo ab hac explicatione alienum est; quod etsi propter equos procreatos nactus esse dicitur 57), hae ipsae equorum procreationes quam in partem accipiendae sint, Pegasi nomen docet, cujus pariter ut Arionis ille parens habebatur 58); Pegasum autem sponte patet a fonte humo prosiliente dictum esse 59), qui quum aquarum venis reconditis originem deberet,

---

57) Pausan. VII. 21. 3: *Ποσειδῶνι δὲ παρὲξ ὁπόσα ὀνόματα ποιηταῖς πεποιημένα ἐστὶν ἐς ἐπῶν κόσμον, καὶ ἰδίᾳ σφίσιν ἐπιχώρια ὄντα ἕκαστοι τίθενται· τόσαι δὲ ἐς ἅπαντας γεγόνασιν ἐπικλήσεις αὐτῷ, Πελάγιος καὶ Ἀσφάλιος καὶ Ἵππιος· ὠνομάσθαι δὲ Ἵππιον τὸν θεὸν πείθοιτο μέν τις ἂν καὶ ἐπ' αἰτίαις ἄλλαις· ἐγὼ δὲ εὑρετὴν ἱππικῆς ὄντα ἀπὸ τούτου σχεῖν καὶ τὸ ὄνομα εἰκάζω*: cf. Creuzeri Melett. T. I, p. 32 et Symbol. T. II, p. 598, Boettigeri Ideen zur Kunstmythologie T. II, p. 325; Prellerum p. 151 et 388.

58) Philargyr. ad Virg. Georg. III. 122: *Neptunus etiam parens quorundam equorum fertur, ut Pegasi ex Medusa et Arionis ex Cerere, cujus dominium Adrastus habuit*; cf. Apollod. Biblioth. II. 4. 2, Hygin. Fabul. 151, et Albert. ad Hesych. T. II, p. 63.

59) Cf. imprimis Voelckerum l. c. p. 132, qui recte animadvertit jam Hesiodum hanc originationem indicare, licet perverse ea usus sit, in Theogon. v. 283:

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς γένετο κ. τ. λ.

Hermannus quidem in diss. de Mythol. Gr. antiqu. p. 12 (Opusc. T. II, p. 180) navem interpretatur, quasi *Pegulum* dictam ab eo quod est *πηγνύειν*, neque haec nova est opinio, cf. Tzetz. ad Lycophr. p. 300 ed. Müller. et Staveren. ad Hygin. p. 122, sicut etiam Neptunum ipsum *ἱππίαν*

jure meritoque ad Neptunum patrem et matrem Medusam referebatur, quam et ipsam terram significare mihi persuasissimum est [60]); utque Pegasi fabula non in uno aliquo loco haesit, sed passim ἵππου κρῆναι visebantur, quas illum ungularum pulsu ex terra elicuisse fama erat [61]), ita etiam aliis in locis, ubi Neptuni aras et templa modo offendimus, simul fontium sacrorum in vicinia mentio injicitur [62]), qualem Coloni quoque in colle

---

cognomen inde accepisse volebant, quia, ut ait Artemidorus Oneirocr. I. 56, ὃν ἔχει λόγον ἐπὶ γῆς ἵππος, τὸν αὐτὸν ἐν θαλάσσῃ ναῦς, et Hom. Odyss. IV. 708 naves ἁλὸς ἵππους dixerit; at alia, opinor, est tropica sive poëtica loquendi ratio, qua similitudo tantum rerum spectatur, alia symbolica, unde veterum religionum fabulae prodiere, quibus ea, quae extra humani arbitrii orbem solius rerum naturae vi vigebant, ad vitam animatam formasque hominibus aliisve animalibus similes revocabantur, mirumque fuisset naves, quae ipsius hominis manu factae esset, in fabulis popularibus equimo potius quam suo nomine appellari.

60) Si quidem Persei falcem et Chrysaorem indidem Medusa progenitum omnium facillime ad agrorum feturam aureasque segetes inde provenientes referri mihi videor, quam in sententiam etiam Creuzerus in Symbol. T. IV, p. 65 sqq., si recte ejus mentum percepi, disputat; clariusque etiam Voelckerus l. c. p. 226 Gorgonem Pegasi matrem, quam eandem Minervam esse vult, cum Cerere Eriny Arionis genitrice ita conjungit, ut inter utrumque equum nihil discriminis remaneat; cf. et Mülleri Prolegg. p. 307; nos tamen, qui comparare has fabulas quam confundere inter se malumus, in eo consistemus, ut in aliis religionibus Medusae et Gorgonum similes partes atque in iis quas nunc tractamus Cereris et Erinyum fuisse statuamus, nec Welckeri conjecturam quamvis splendidissimam probamus, qua in Pind. Pyth. VIII. 70 pro *meliori auspicio* (ἀρείονι ὄρνιχι) *Arionem alitem* invenire sibi visus est, cf. Allg. Schulzeitung 1832, p. 210.

61) Praeter notissimum illum fontem Caballinum in Helicone Boeotiae monte (Strab. VIII, p. 379; Pausan. IX. 31. 3) Corinthi quoque Pausanias II. 3. 5 laticem commemorat, qui ex Pegasi ungula profluxerit; insignissimus tamen nostrum in usum est Troezenius apud eundem II. 31. 12, cujus aqua Orestes lustratus esse dicebatur, unde colligimus haec quoque sacra ab Eumenidum religionibus non prorsus aliena fuisse fontemque illum Pegaseum simili loco habendum esse cum illo in Cereris colle apud Colonum, unde Sophocles Oedipo morituro aquam ad lavandum et libandum a filiabus ferri finxit (cf. not. 12).

62) In Taenaro promontorio fontem mirabilem commemorat Pausanias 25. 5, nec minus insignem Patris ante Cereris templum, de quo superius (cf. not. 31) dictum est; in Alesio autem

Cereris *εὐχλόου* Sophoclem commemorare vidimus (cf. not. 12). Ne quis autem dubitet num omni aquarum generi an marinis tantum Neptunus auctor tribui possit [63]), recogitet eundem non alia de causa *σεισίχθονα* et *ἐννοσίγαιον* appellatum esse, nisi quia terrae tremores excitare videretur, quorum causas in aquis per terrarum cava undantibus latere vetus opinio erat [64]), sive horum origo a ventorum potius vi specus hiatusque terrae subeuntium repetenda sit [65]), tantum abest ut hoc rationes nostras conturbet, ut etiam certius confirmet quod diximus, illius potestatem ad subterranea quoque loca pertinere, unde et Melanthi nomen apud Atticos accepisse fertur [66]), et *κυανοχαίτου* cognomen cum Plutone fratre suo commune habebat [67]), neque Arioni idem magis propter Neptuniam quam terrestrem originem inditum esse dixe-

---

monte (VIII. 10. 3) prope Mantineam marinae quoque aquae scaturiginem apparere narrat, qualem et Athenienses in Erechtheo Neptuno acceptam referebant (cf. Meursii Cecrop. c. 19) et Mylasenses in Caria Osogoi deo sacram colebant (cf. Boeckh. Corp. Inscr. T. II, p. 476 b).

63) Ut Prellerus p. 163: *es fragt sich überhaupt, ob Poseidon jemals in so grofser Allgemeinheit ein Gott des feuchten Elementes gewesen ist, dafs auch die durch Regen oder Anhäufung tellurischer Gewässer entstehende Nässe von ihm abgeleitet wäre.* At satis opinor respondebit Aeschylus Sept. adv. Theb. v. 292: *ὕδωρ τε Διρκαῖον εὐτραφέστατον πωμάτων, ὅσων ἵησι Ποσειδᾶν ὁ γαιάοχος κ. τ. λ.*

64) Cf. imprimis Gell. N. A. II. 28 et Eustath. ad Iliad. M. 25.

65) Cf. Senec. Quaestt. Natur. VI. 12 sqq.; Plin. Hist. Nat. II. 81; Plutarch. Plac. Philos. III. 15, atque omnino insignissimum locum Ammian. Marc. XVII. 7.

66) Tzetzes ad Lycophr. v. 766; cf. Eustath. ad Odyss. *P*. 214.

67) *Γαιήοχον* sive *ἐνοσίχθονα κυανοχαίτην* Neptunum apud Homerum passim appellari notum est; Orcum autem eodem cognomine insignem exhibet H. in Cererem v. 348

Ἅδη κυανοχαῖτα καταφθιμένοισιν ἀνάσσων,

ubi Vossius apte confert Eurip. Alcest. v. 440: *Ἀΐδας ὁ μελαγχαίτας κ. τ. λ.*

rim [68]); quem si ipsum nomen ad Martem potius omnis leti calamitatisque auctorem [69]) referre videtur, Neptunum patrem ita tantum habere posse apparet, ubi hunc et ipsum ut Erinyn matrem aliquo modo cum sacris Chthoniis horrendisque inferorum religionibus conjunxerimus.

At enim haec, quia ab Oedipi fabula longius nos abducunt, significare quam dato negotio persequi maluimus; res ipsa monet, ut aliquando etiam in illius patriam Boeotiam transeamus et ibi quoque scrutemur, num quod earum religionum vestigium occurrat, quas Colono cum Arcadia aliisque Peloponnesi partibus communes reperimus; nec frustra operam nostram fore vel illud spondet, quod ipsam Arionis genituram ex Neptuno et Eriny, cujus magnum in hac quaestione momentum esse intelleximus, alii ad Onchestum Boeotiae oppidum antiquissimo Neptuni cultu

---

68) Cf. Thebaidis cycl. reliqu. p. 64 ed. Leutsch. ex Paus. VIII. 25. 5: *ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι, ὡς Ἄδραστος ἔφευγεν ἐκ Θηβῶν*

εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρίονι κυανοχαίτῃ,

ubi non temere etiam Adrasto lugubria vestimenta tribuuntur, quibus colorem cyaneum proprium fuisse videmus ex H. in Cererem v. 42.

69) Apposite Schwenckius (Mythol. Skizzen p. 81) de Sophoclis loco in Oed. Tyr. v. 214 agens: *es scheint*, inquit, *dafs Ares eher Gott des Verderbens war als der des Kriegs, und dafs diese specielle Art des Argen aus dem allgemeinen seiner Natur stammt;* cf. Neue ad Soph. Ajac. v. 706, utque in Oed. Col. v. 1393 simul cum Furiis appellatur tanquam is, qui Oedipi filiis *τὸ δεινὸν μῖσος ἐμβέβληκε*, ita neque illud praetereundum videtur, apud Hermionen prope Clymeni fanum etiam Martis templum inter deos Chthonios exstitisse; cf. Paus. II. 35. 6 et Boeckh. Corp. Inscr. T. I, p. 602. Arionis autem nomen cum Marte cohaerere monuit etiam Müllerus ad Aeschyl. Eumen. p. 173.

insigne [70]) fontemque Tilphusaeum referebant [71]), quem ipso nomine proxime ad Thelpusam Arcadiae urbem accedere jam ab aliis observatum est [72]), utque vanum sit, quod Prellerus suspicatur [73]) Oncas Arcadicas prope Thelpusam, ubi Pausanias Ario-

---

70) Iliad. II. 506; Apoll. Rhod. III. 1242; Strab. IX, p. 412; *ἵππιον* fuisse et ipsum non sine causa suspicatur Boettigerus in Matthiae Animadverss. in Hymn. Homer. ad Apoll. v. 231, p. 157; cf. Preller. p. 153.

71) Schol. Homer. Iliad. Ψ. 346: *Ποσειδῶν ἐρασθεὶς Ἐρινύος καὶ μεταβαλὼν τὴν αὐτοῦ φύσιν εἰς ἵππον, ἐμίγη κατὰ Βοιωτίαν παρὰ τῇ Τιλφούσᾳ κρήνῃ· ἡ δὲ ἔγκυος γενομένη ἵππον ἐγέννησεν, ὃς διὰ τὸ κρατιστεύειν Ἀρείων ἐκλήθη.*

72) Cf. Welckerum über eine kret. Kolonie in Theben p. 45 et Ep. Cyklus p. 67; Müllerum in Orchom. p. 480 et ad Aesch. Eumen. p. 175; quibus quae Prellerus opposuit p. 166, eo redeunt ut quaerat: *sollten alle diese Oerter verwandt gewesen seyn und ihre Mythen defshalb einander gegenseitig erklären können?* totoque respondendi officio his verbis defungatur: *vielmehr dieses ist ein Name, wie es deren so viele in Griechenland gibt ... welcher von irgend einer Eigenthümlichkeit der Natur oder Lage jener Plätze hergenommen ist, wenn auch nicht mit Gewifsheit nachgewiesen werden kann, welcher Art gerade diese Eigenthümlichkeit gewesen ist;* quo nihil aut inertius aut imbecillius inveniri poterat. Quippe aut demonstrandum erat horum locorum fabulas nihil commune habere, ut nomine tantum tenus cognata esse probaret, aut nominis aliqua significatio investiganda, unde appareret hujus similitudinem interioris vinculi vestigia non continere; quorum quum neutrum Prellerus fecerit, non temere factum esse arbitrabimur, ut similes fabulae in locis cognominibus narrarentur.

73) P. 156: *Hier ist ein guter und tiefbegründeter Zusammenhang, und was man diesem nicht glauben will, wird man den äufseren Zeugnissen zugeben müssen, dafs nämlich die Mythe vom Areion ursprünglich Onchestos gehört, und dafs die arkadische Onkä (wahrscheinlich eine Verstümmelung des Namens Onchestos) nichts weiter ist als eine Uebertragung desselben von einem Orte zum andern.* Scilicet Arionem nihil aliud nisi antiquum rei equestris studium significare vult, cujus initia ex Thessalia et Boeotia repetit, idque ut cum Arcadum fabulis, quarum longe alia vis est, conciliet, ab Antimacho demum, si dis placet, Arcadibus eam obtrusam esse contendit, quia equo terrigenae aptissimus inter autochthones locus esse videretur, Onchesto autem eundem jam a Cyclicis tribui gloriatur; quos ut concedamus non cum Welckero pro mythographis, sed pro poëtis habendos esse, tamen non sequitur, ut quo antiquiorem fabula testem habeat, eo antiquior ipsa fuerit, praesertim in Arcadia, cujus sacra eam ipsam ob causam sero demum reliquarum

nem editum esse narrat, ex Onchesti nomine decurtato appellatas esse, prorsus cognominem pagum prope ipsas Thebas invenimus [74]), quem sive a Minerva Onca, quam Cadmus secum attulisse tradebatur [75]), sive hanc ab illo nomen accepisse statuamus [76]), semper memorabile erit, eorundem deorum memoriam, quos illic loci pariter ac numinum vinculo conjunctos vidimus, hic iterum quasi sua sponte redire. Tritoniae quoque Minervae, quam et Neptuno cognatam et pari cum Equestri loco habendam esse superius (cf. not. 58) monuimus, antiquissimum cultum in Boeotia ad lacum Copaidem offendimus [77]), quo nullus

---

gentium poëtis innotuisse consentaneum est, quia autochthoniae laudem ab omni novorum studiorum contagione liberam et incorruptam servare studebat.

74) Tzetzes ad Lycophr. v. 1225: *Ὀγκαίου τινὸς τῆς Δήμητρος, τοῦτ' ἔστιν ἐριννώδους, παρ' ὅσον ἐν Ὄγκαις πόλει τῆς Ἀρκαδίας ἡ Δημήτηρ Ἐριννὺς τιμᾶται, ὡς καὶ Καλλίμαχος·*

τὴν μὲν ὅ γ' ἐσπέρμηνεν Ἐριννΐ Τελφουσσαίῃ·

εἰσὶ δ' Ὄγκαι καὶ κώμη Θηβῶν οὗ καὶ Κάδμος Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἱδρύσατο: cf. Schol. Pind. Olymp. II. 48.

75) Cf. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 725, Siebelis. ad Paus. IX. 12. 2, et Heynium ad Apollod. III. 4. 1, qui docte observat pro Minerva, cui mythographus vaccam a Cadmo immolatam tradat, in oraculi verbis apud Schol. Eurip. Phoen. v. 641 legi *μελάμφυλλον χθόνα*, ut ne illa quidem a sacris tellustribus aliena esse videatur.

76) Ut Müllero visum est in Orchom. p. 121 et Rückerto l. c. p. 76: *ihr Name ist offenbar griechisch, von dem Hügel entnommen, auf welchem die Burg Kadmea erbaut war, und auf dessen weiterer Fortsetzung das Dorf Onkä lag.* Plurimi Pausaniam secuti Phoeniciam vocem existimant, cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 701; Jablonskius Aegyptiam, Welckerus (über e. kret. Kol. p. 11 et 61) Caricam sive Lelegicam, haec tamen appellatio, si recte memini, non nititur nisi titulo Laconico inter Fourmontianos, cujus auctoritatem merito infregit Boeckhius in Corp. Inscr. T. I, p. 77, utque Phoeniciam Cadmi originem concedam, Oncae nomen haud scio an facilius ab ipsius comitatu quam a pagi Arcadici similitudine divellamus.

77) Cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 703; Mülleri Orchom. p. 213; Rückert l. c. p. 62 sqq.

insignior subterraneis meaculis et canalibus exstitit[78]), neu quis Cereris mentionem perscriptam desideret, praeter Eteoneam illam, quam Oedipum hospitio suo accepisse diximus (cf. not. 11), in ipso Trophonii fano Lebadeae, quod et nomine et natura loci proxime ad religiones infernas pertinebat[79]), Cereris Europae signum visebatur[80]), quam dubitari nequit eandem fuisse cum Hercyna illa, quam a Trophonii filia consecratam Lycophron ejusque interpres proxime ad Erinyn Thelpusaeam addiderunt[81]); quoque major horum sacrorum cum iis quae in Arcadia cognovimus necessitudo appareat, pariter ut in Magnarum dearum templo Megalopolitano et in Minervae Aleae Tegeaeo (cf. not. 45) Lebadeae quoque in Trophonii fano Pausanias duo signa adstantia vidit, quae Aesculapii et Hygeae speciem refer-

---

78) Cf. Müllerus ibid. p. 51 sqq., Boettigeri Amalthea T. II, p. 316, et Forchhammerus in Poggendorfii Ann. d. Physik u. Chemie T. CXIV, p. 241 sqq., qui canales naturales sive *καταβόθρα* ab arte factis, quibus aqua emittebatur, recte distinxit.

79) Cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 381; Schwenckii etymol. mythol. Andeut. p. 109; Mülleri Orchom. p. 155 etc.

80) Paus. IX. 39. 3; cf. Welckerum über e. kret. Kol. p. 16 et Prellerum p. 172, qui Hesychium secuti *tenebrosam* interpretantur.

81) Tzetzes ad Lycophr. v. 153: *Ἐνναία καὶ Ἕρκυνα καὶ Ἐρινὺς ἐπώνυμα Δήμητρος . . . Ἕρκυνα δὲ ἡ Τροφωνίου θυγάτηρ ἐν Λεβαδείᾳ τῆς Βοιωτίας ἱδρύσατο τὴν θεὸν καὶ ἀφ᾽ ἑαυτῆς ὠνόμασεν Ἕρκυναν*: cf. Schwenckium l. c. p. 107 et Müllerum p. 155, qui non dubitant Latino sermone *Orcinam* appellare, neque Pausaniae narratio (IX. 39. 2) hinc abhorret, qui etsi Hercynam fontem tantum novit, quem Proserpina anserem persecuta humo elicuerit, ipsorum tamen fontium quantum sit in his sacris momentum, quanta gravitas, superius not. 62 vidimus; anseris autem mentio ideo tantum accedere videtur, quia hae aves in templis ali solebant; cf. Petron. Satyr. c. 136, Aristid. Sacr. Serm. 3, T. I, p. 501 Dind., Artemid. Oneirocr. IV. 83.

rent [82]); nos tamen, ne diuturnae comparationis dulcedine a proposito nostro abstrahamur, in eo consistemus, ut Erinyum vestigia persequamur, quarum religionem non Coloni modo verum etiam aliis in locis cum Oedipi memoria conjunctam fuisse jam Aegidarum exemplum docet, qui quum Spartae Furias Laji et Oedipi consecrarent [83]), profecto non tam nova sacra constituisse, quam intermissas ceremonias patrias instaurasse in novasque sedes transtulisse videntur, atque etiam si in Boeotia ipsa, veteribus incolis pulsis Cadmeorumque gente, quam imprimis Erinyes colere consentaneum erat, ad nihilum redacta, paene nullas inde reliquias exstitisse neutiquam miramur, jure nostro contendere nobis videmur olim non minus late has religiones patuisse, quam Oedipi fabulam patere Pausanias animadvertit [84]). Quippe

82) Paus. IX. 39. 2: *εἰσὶ δὲ ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦ ποταμοῦ τε αἱ πηγαὶ καὶ ἀγάλματα ὀρθὰ, περιειλεγμένοι δέ εἰσιν αὐτῶν τοῖς σκήπτροις δράκοντες· ταῦτα εἰκάσαι μὲν ἄν τις Ἀσκληπιοῦ τε εἶναι καὶ Ὑγείας, εἶεν δ' ἂν Τροφώνιος καὶ Ἕρκυνα, ἐπεὶ μηδὲ τοὺς δράκοντας Ἀσκληπιοῦ μᾶλλον ἢ καὶ Τροφωνίου νομίζουσιν ἱεροὺς εἶναι:* quod enim dubitat, utrum Aesculapium dicat an Trophonium, parum nos movet, siquidem in Arcadia quoque draconum argumento motus numina Trophonio cognata cum Aesculapio permutare potuerat neque Aesculapius adeo a Trophonii vi et potestate alienus est, cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 394 et Müllerum l. c. p. 199: *wie es ja auch wohl wahrscheinlich ist, daſs der Asklepios, den die Phlegyer und Minyer verehrten, eben Trophonios war, der mit Asklepios-Attributen zu Lebadeia angebetet wurde.*

83) Herod. IV. 149: *Οἰολύκου δὲ γίνεται Αἰγεὺς, ἀπὸ τοῦ Αἰγεῖδαι καλεῦνται, φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ· τοῖσι δὲ ἐν τῇ φυλῇ ταύτῃ ἀνδράσι οὐ γὰρ ὑπέμειναν τὰ τέκνα, ἱδρύσαντο ἐκ θεοπροπίου Ἐριννύων τῶν Λαΐου τε καὶ Οἰδιπόδεω ἱρὸν, καὶ μετὰ τοῦτο ὑπέμεινε τωὐτὸ τοῦτο καὶ ἐν Θήρῃ τοῖσι ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν τούτων γεγονόσι:* cf. Müller. Orchom. p. 225.

84) Paus. X. 5. 2: *ἔδει δὲ ἄρα παθημάτων τῶν Οἰδίποδος ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ὑπολειφθῆναι μνημόσυνα· τεχθέντος μέν γε διαπείραντες διὰ τῶν σφυρῶν κέντρα ἐκτιθέασιν*

Athenis quoque propter collem Martium non solum Orestei judicii monumenta verum etiam Oedipi sepulcrum intra ipsum Erinyum fanum visum esse testatur [85]), neque illud negligendum arbitror, quod idem narrat Sicyone, hoc est in Polybi regno, apud quem pueritiam egisse Oedipus tradebatur [86]), quas Attici *Σεμνάς* appellarint, Eumenidum nomine cultas esse [87]), ut Adrasti sacra taceam, cui usque ad Clisthenem tyrannum eosdem illic quos alibi Libero patri honores habitos esse constat [88]); ipse vero

---

αὐτὸν ἐς τὴν Πλαταιΐδα, ὄρος τὸν Κιθαιρῶνα· Κόρινθος δὲ καὶ ἡ ἐπὶ τῷ Ἰσθμῷ χώρα τροφὸς τῷ Οἰδίποδι ἐγένετο· γῆ δὲ ἡ Φωκὶς καὶ ὁδὸς ἡ σχιστὴ τοῦ πατρῴου φόνου τὸ μίασμα ὑπεδέξατο· Θηβαίοις δὲ καὶ ἐς πλέον γάμων τέ σφισι τῶν Οἰδίποδος καὶ ἀδικιῶν τῶν Ἐτεοκλέους ἐστὶν ἡ φήμη.

85) Paus. I. 28. 7: *ἔστι δὲ ἐντὸς τοῦ περιβόλου μνῆμα Οἰδίποδος, πολυπραγμονῶν δὲ εὕρισκον τὰ ὀστᾶ ἐκ Θηβῶν κομισθέντα· τὰ γὰρ ἐς τὸν θάνατον Σοφοκλεῖ πεποιημένα τὸν Οἰδίποδος Ὅμηρος οὐκ εἴα μοι δόξαι πιστά, ὃς ἔφη Μηκιστέα τελευτήσαντος Οἰδίποδος ἐπὶ τάφον ἐλθόντα εἰς Θήβας ἀγωνίσασθαι.* Integrum locum adscripsimus, ne quis vanum conamen nostrum existimet, quo Oedipi nomen a certi hominis memoria ad numinis alicujus cum Erinyum cultu conjuncti significationem revocare studemus; hac enim sola ratione difficultates illae tolluntur, quae Pausaniam ad fidem Sophocli negandam impulerant; ossa autem Thebis allata facile patimur, modo ne hominis potius quam sacrorum argumenta habeantur, quae ex Boeotia in Atticam translata fuerint. Ceterum ipsam rem confirmat etiam Valerius Max. V. 3. ext. 3, quanquam oratorio more in malam partem conversam: *Oedipodis ossa, caede patris, nuptiis matris contaminata, inter ipsum Areopagum, divini atque humani certaminis venerabile domicilium, et excelsis praesidiis Minervae arcem, honore arae decorata quasi sacrosancta colis*, ..

86) Polybum enim Sicyonis regem, Adrasti avum maternum (Her. V. 67; Paus. II. 6. 3) eundem habendum esse cum eo, qui Oedipum parvulum Corinthum delatum adoptasse dicitur, recte monuit C. Wagnerus in rerum Corinthiarum specimine, Darmst. 1824. 8, p. 61 sqq.

87) Paus. II. 11. 4: *καὶ ἐν ἀριστερᾷ διαβᾶσι τὸν Ἀσωπὸν ἐστιν ἄλσος πρίνων καὶ ναὸς θεῶν, ἃς Ἀθηναῖοι Σεμνὰς, Σικυώνιοι δὲ Εὐμενίδας ὀνομάζουσι κ. τ. λ.*

88) Cf. Herod. V. 67 et Creuzeri comm. Herodott. p. 217 sqq. Quid Adrasto cum Furiarum sacris commune esse videatur, dixi superius not. 26.

12*

Homerus licet Thebis mortuum esse Oedipum credat, eaque re a reliquis omnibus testibus quam longissime discedat [89]), Furiarum tamen adeo non obliviscitur, ut pariter atque Orestem illum matris Erinyes agitasse fingat [90]), quod si recte nuper juvenis eruditissimus illius auctoritate ductus etiam sepulcro Oedipum ante Neïstas Thebarum portas apud lucem Cereris Cabiriae conditum fuisse posuit [91]), hanc quoque cum Erinyum sacris conjungere non dubitaremus [92]), utque hoc audacius factum fore concedamus, manet certe fons Oedipodius ante portas Proetidas [93]), quo eum caedem paternam abluisse fama erat, eique con-

89) Iliad. XXIII. 679.

90) Odyss. XI. 278: *τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω*
Πολλὰ μάλ', ὅσσα τε μητρὸς Ἐρινύες ἐκτελέουσι.

91) Rob. Aug. Ungerus in Thebanarum rerum specimine, Hal. 1833. 8, p. 43.

92) De Cereris Cabiriae fano inter Thebas et Onchestum posito cf. Paus. IX. 25, quo si ad Oedipi quoque fabulam illustrandam uti liceat, ne Prometheo quidem (cf. not. 6) interius cum illa vinculum desit, quippe quem Pausanias unum ex Cabiraeis templi conditoribus fuisse narret, utque illam necessitudinem omittam, qua Cadmum Oedipi proavum cum Cabirorum sacris contineri volunt (cf. Creuzeri Symbol. T. IV, p. 17 et 29; Mülleri Orchom. p. 450 sqq. et Etrusc. T. II, p. 70 sqq.), illud quoque favere huic suspicioni possit, quod prope illud fanum Sphingius mons cernebatur (Paus. IX. 26. 2), unde erant qui Oedipum se ipsum praecipitasse traderent, cf. Eustath. ad Iliad. Ψ. 678 et Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 659; attamen quum et haec fama ex perversa tantum Homericae vocis *δεδουπότος* interpretatione orta esse videatur (cf. Lehrs de Aristarchi stud. Homer. p. 110 sqq.) et ipsa Cabiriarum religionum memoria summa etiam nunc caligine prematur plurimisque controversiis obnoxia sit (cf. Lobeck. Aglaoph. p. 1251), in tanta vestigiorum tenuitate sustinere quam praecipitare assensum nostrum maluimus.

93) Plin. Hist. Nat. IV. 7. 12: *praeterea fontes in Boeotia, Oedipodia, Psamathe, Dirce, Epicrane* etc., cf. Plut. V. Sull. c. 19 et Paus. IX. 18. 4: *τῇ δὲ Οἰδιποδίᾳ κρήνῃ τὸ ὄνομα ἐγένετο, ὅτι ἐς αὐτὴν τὸ αἷμα ἐνίψατο Οἰδίπους τοῦ πατρῴου φόνου.*

tiguum Hectoris heroum [94]), quod nulla alia de causa ibi potissimum Thebanos constituisse dixerim praeter eam, quam etiam in Thesei Pirithoique monumentis Atticis indicavi, quia ibi commeatus cum locis inferis patere videretur. Ne quis autem ideo tantum Erinyes Oedipi fabulis immisceri putet, quia illis scelera persequenda et facinora a naturae legibus abhorrentia ulciscenda fuerint, mihi quidem persuasissimum est a poëtis demum, ipso Erinyum numine a naturali in moralem potestatem traducto, tanta flagitia in Oedipi caput nomenque congesta esse, ut intelligeretur, quid tandem huic cum Furiis, impietatis scilicet ultricibus [95]), rei esse posset; quas etsi intelligerent Oedipum inveterata potius deorum ira quam ipsius merito persequi [96]), tamen et illis ita tantum satisfieri arbitrabantur, ut hominem aliqua culpa irretirent, quam deinde quasi naturae lege poena exciperet [97]),

94) Paus. IX. 18. 4: *ἔστι δὲ καὶ Ἕκτορος Θηβαίοις τάφος τοῦ Πριάμου πρὸς Οἰδιποδίᾳ καλουμένῃ κρήνῃ, κομίσαι δὲ αὐτοῦ τὰ ὀστᾶ ἐξ Ἰλίου φασὶν ἐπὶ μαντεύματι*: cf. Lycophr. Alex. v. 1194 c. interpr. Tzetzae et Schol. ad Iliad. N. 1, p. 383 Bekk.

95) Böttiger, die Furienmaske, p. 103; Kampe l. c. p. 4 sqq.; Müller ad Eumen. p. 181; Preller p. 163.

96) Soph. Oed. Col. v. 964: *θεοῖς γὰρ ἦν οὕτω φίλον,*
τάχ' ἄν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι.

97) Insigne hanc in sententiam Aeschyli fragmentum servavit Plato de Republ. II, p. 380 A:
— *θεὸς γὰρ αἰτίαν φύει βροτοῖς*
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ,
quod haud scio an prudens volensque Goethius noster his versibus expressit:
ihr lafst den Armen schuldig werden,
und darnach lafst ihr ihn allein,
denn jede Schuld rächt sich auf Erden;

dumque pro timore et metu, unde omnes veterum religiones originem habuisse credibile est [98]), justitiae et aequitatis sensus substituere studebant, quos cultior Graecorum aetas in diis pariter ac regibus humanis colendis sequebatur, eo paulatim rem deduxerunt, ut quae olim arbitrio divino fatique iniquitate mala immitti visa essent, nunc vel invitis diis ipsorum aut scelere aut negligentia hominibus accidere docerent [99]). Et vestigia quidem hujus mutationis jam apud Homerum apparent [100]), quem

---

neque Aeschylum tantum ita sensisse ostendit Theognidis locus v. 151:

ὕβριν, Κύρνε, θεὸς πρῶτον κακῷ ὤπασεν ἀνδρί,
οὗ μέλλει χώρην μηδεμίαν θέμεναι,

et Lycurgi testimonium in orat. adv. Leocr. §. 92: οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι, καί μοι δοκοῦσι τῶν ἀρχαίων τινὲς ποιητῶν ὥςπερ χρησμοὺς γράψαντες τοῖς ἐπιγινομένοις τάδε τὰ ἰαμβεῖα καταλιπεῖν·

ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά,
τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν,
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει:

quos versus Euripidi tribuunt Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 321 et Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 57, ubi etiam plura ejusdem argumenti dicta afferuntur.

98) Stat. Theb. III. 661: *primus in orbe deos fecit timor;* cf. Herderi Ideen zur Philos. d. Gesch. d. Menschheit T. I, p. 275 et Koenigii Opuscula latina p. 179.

99) Cf. Blümnerum über die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aeschylos, Lips. 1814. 8, p. 137 sqq.

100) Cf. insignem locum Odyss. I. 32:

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι:

ubi tamen recte Nitzschius erkl. Anmerk. T. I, p. 11: *unverkennbar waltet in der Odyssee die Idee einer göttlichen Gerechtigkeit weit mehr vor als in der Ilias voll launenhafter parteiischer Götter, ja sie beherrscht das Ganze.*

licet omnium, quotquot Graecorum religiones memoriae prodidere, antiquissimum satis constat multas fabulas longe aliter tractatas reliquisse, ac vetere fama singulorumque locorum sacris traditas accepisset, quaeque naturae potius vires atque aeterna situum et regionum coelestium aut terrestrium numina spectarent, ad humanae vitae similitudinem rerumque factarum speciem transformasse [101]); idem tamen aliis in locis Jovem bona juxta ac mala pro arbitrio mortalibus distribuentem fingit [102]), neque Erinyes semper flagitiorum ultrices et vindictae divinae instrumenta facit; verum interdum etiam ita adhibet, ut Larvarum instar homines vexare inque malos errores abducere videantur [103]); eamque antiquiorem opinionem fuisse vel inde patet, quod et poëtas et philosophos, quo longius ab Homero distant, eo magis ab ea recedere videmus, ut taceam multo probabilius fuisse eas, unde malorum originem repeti solemne esset, aucto justitiae sensu, quum pleraque mala aut deorum aliqua offensa aut hominum imprecationibus oriri crederentur, paulatim ad injuriarum potissimum ulciscendarum munus delabi, quam si

101) Cf. Heyne de origine et causis fabularum Homericarum in Comm. Gotting. nov. T. VIII, p. 65; Creuzeri Symbol. T. II, p. 442 sqq.; Mülleri Prolegg. p. 348 sqq.

102) Iliad. XX. 243, XXIV. 530; Odyss. IV. 237, XIV. 445.

103) Iliad. XIX. 87, Odyss. XV. 234; cf. Platneri Notiones juris et justitiae ex Homeri carm. explicatas, Marb. 1819. 8, p. 31, unde in eo tantum discedo, quod ille ordine inverso Erinyes initio animadvertendi tantum in facinorosos potestatem habuisse, seriori demum tempore causa detracta aerumnas in universum in homines effundendi partes accepisse statuit, cujus sententiae argumenta desidero.

ab initio scelerum tantum speculatrices et vindices fuissent, postmodo etiam quae quis casu vel imprudentia passus esset ad easdem referri. Neque omnino explicationem haberet, quomodo vel innocentes, quales Coloniatas apud Sophoclem videmus [104]), tanta eas formidine colere potuerint, ut non pedes modo ab earum fano prohiberent, verum etiam praetereuntes ora averterent linguasque comprimerent, si in impios tantum et impuros potestatem suam exercuissent, nec Larvis potius, quas Romani dicebant, comparari possent, quae bonis juxta ac malis quamvis inania terriculamenta fuisse dicuntur [105]); quid quod Aeschylus quoque Oedipi umbram uno cum Furia tenore comprehendit ita ut utra magis extimescatur anceps maneat [106]), nec multum

---

104) Oed. Col. v. 130 sqq.

105) Appulejus de deo Socratis p. 237 Bip.: *ex hisce ergo Lemuribus qui posterorum suorum curam sortitus placato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris; qui vero ob adversa vitae merita nullis bonis sedibus incerta vagatione ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent; quum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, nomine Manem deum nuncupant;* cf. Mülleri Etrusker T. II, p. 93 et Hartungii librum recens editum: die Religion der Römer nach den Quellen dargestellt (Erlangae 1836. 8) T. I, p. 69, ubi apposite etiam *cerriti* cum *larvatis* conjunguntur ita, ut nihil convenientius vel ad hanc nostram comparationem vel ad eam conjunctionem inveniri possit, qua superius Cererem Furiarum consortio addere non dubitavimus: *cerriti enim*, Nonius inquit, *et larvati male sani et aut Cereris ira aut Larvarum incursatione animo vexati*, eamque significationem dudum fuisse qui a Cerere Eriny repeterent, vel Forcellini Lexicon testatur, sicut etiam Larvas jam Pareus in Lexico crit. p. 661 Furiarum comparatione explicavit.

106) Cf. Aeschyli Sept. adv. Theb. v. 956 et 958:

ἴω Μοῖρα βαρυδότειρα μογερὰ,
πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά,
μέλαινά τ' Ἐρινὺς, ἦ μεγασθενής τις εἶ:

abest quin ipsas olim, antequam certas personas mythologicas induerent, pari cum Manibus Lemuribusque loco habitas esse suspicer, quos etsi rectius fortasse *ἀλάστορας* Graece appellaverimus [107]), hos ipsos tamen jam veteres intellexerunt proxime ad Erinyum similitudinem accedere [108]), neque quidquam inter

---

ubi miror Welckerum (Nachtrag zu der Schrift über die Aeschyl. Trilogie p. 150) mortuum Oedipum agnoscere nolle, sed nescio quod vivi spectrum sibi fingere; quod etiamsi fieri posse concedamus, causa tamen, qua se moveri declarat, mihi non sufficit. Quod enim miratur, quomodo »*in einer und derselben Tragödie die Leiche des Oedipus jezt als der Fremde anheimgefallen, jezt als eingekehrt in das alte Grabmal der Väter vorkommen konnte, ohne dafs nur von Versetzung derselben oder von einem Kenotaphium die Rede wäre*« eum sensum habere videtur, ut neget exsulis umbram, qui peregre obiisset, Thebis apparere potuisse, quin ossa certe domum relata fuerint; at eodem modo apud Sophoclem Oed. Col. v. 788 Oedipus ipse, dum corporis sui potestatem Thebanis negat, genium suum iratum semper illic habitaturum esse minatur, apud Aeschylum autem in Eumenidibus etiam Clytaemnestram licet Mycenis conditam Delphis prodire videmus ad excitandas Furias, quas haud scio an hoc ipso exemplo appareat eodem modo, quo privata vindicta publicis judiciis cessit, umbrarum in locum successisse potius quam disjunctam et separatam ab iis potestatem habuisse.

107) Cf. imprimis Plut. V. Cic. c. 47: *ὥστε καὶ παρελθεῖν εἰς τὴν Καίσαρος οἰκίαν διενοήθη κρύφα, καὶ σφάξας ἑαυτὸν ἐπὶ τῆς ἑστίας ἀλάστορα προσβαλεῖν*, quod recte Budaeus (Comm. L. Gr. p. 213) interpretatur: *impingere familiae Caesaris furiales intemperias;* intemperias enim easdem esse quas Larvas apparet ex Plauti Aulul. IV. 4. 15.

108) Sic Eustath. ad Iliad. *Γ.* 462 (p. 1213. 44): *ἀλάστορες γὰρ κυρίως μὲν δαίμονές τινες ἐριννώδεις, οἳ οὐκ ἂν λάθοιντο, καταχρηστικῶς δὲ καὶ οἱ ἁπλῶς φαῦλοι ἐχθροί.* Utrumque genus conjungunt Lucianus Necyom. c. 11: *παρειστήκεισαν δὲ αὐτῷ Ποιναὶ καὶ Ἀλάστορες καὶ Ἐρινύες*: Clem. Alexandr. Protr. p. 16 B: *ἐντεῦθεν τὰς Ἐρινύας καὶ τὰς Εὐμενίδας παλαμναίους τε καὶ προστροπαίους, ἔτι δὲ Ἀλάστορας ἀναπεπλάκασιν οἱ ἀμφὶ τὴν σκηνὴν ποιηταί*: Schol. Eurip. Phoen. v. 817: *ἣν Ἐρινύς τις ἢ Ἀϊδωνεὺς ἢ Ἀλάστωρ ἐφῆκε τῇ πόλει* etc., neque ipsum tragicorum loquendi usum ab hac comparatione abhorrere, non Euripidis modo exemplum docet, qui in Phoenissis v. 1550 vel vivo Oedipo *ἀλάστορα* tribuit eodem modo quo apud Sophoclem in Oed. Col. v. 1299 ejusdem *ἐρινὺς* commemoratur, verum etiam Sophoclis illud quo jam in superiore nota usi omnus Oed. Col. v. 788, ubi recte Ellendtius in Lex. T. I, p. 64 monuit *ἀλάστωρ οὑμὸς* dici ut alias *ἡ ἐμὴ* vel *σὴ Ἐρινύς*: qua tamen similitudine ne quis cum illo ita abutatur, ut vel *ἀλάστορας* vel ipsas *ἐρινῦς* primariam deorum

utrumque genus discriminis intercedere arbitror, nisi quod illos veri simile est vulgi potius superstitioni et naturali cuidam timori quam certorum sacrorum religionibus originem debuisse, Erinyes autem arctius cum deorum inferorum tellustriumque cultu locisque Plutoniis cohaerebant atque inde demum per poëtas universae rei publicae divinae rerumque humanarum regimini immixtae esse videntur. Oedipi vero fabula si rem vere factam contineret, et ipsi crederem Furiarum partes eo tantum consilio accessisse, ut aut viri boni fortisque errores funesti per deorum invidiam vimque fati inevitabilem excusarentur aut tantae cala-

---

vindicum significationem habuisse censeat, comparet mihi vel Aeschyli dictum in Persis v. 352:

ἦρξεν μὲν, ὦ δέσποινα, τοῦ παντὸς κακοῦ
φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν,

vel ipsius Sophoclis in Trachin. v. 1235:

τίς ταῦτ' ἂν, ὅςτις μὴ 'ξ ἀλαστόρων νοσοῖ,
ἕλοιτο; κρεῖσσον κἀμέ γ' ὦ πάτερ θανεῖν,

unde liquido apparet ἀλάστορας nihil nisi malos genios sive larvas et intemperias significare, quarum invidiam etsi consentaneum esset eos potissimum vexare, unde vivi injuriam accepissent, tamen etiam innocentes merito pertimuerint, neque aliunde explicari possit, quomodo hoc vocabulum etiam in significationem hominis sive bestiae nocivae transierit (cf. Soph. Trach. v. 1092 et Ajac. v. 373; Demosth. pro Cor. p. 324. 22 et fals. leg. p. 438. 27), nisi illud aeque ac Furias nocendi prius quam ulciscendi et puniendi vim habuisse statuamus. Quod enim veteribus nonnullis placuit, utramque ex verbo λήθω sive λάθω ita prodiisse, ut *ultores* quidem habiti sint quasi μνήμονες, quos nihil fugiat (Eudoc. Violar. p. 152), *scelesti* autem tanquam ἄλῃστα καὶ πολὺν χρόνον μνημονευθησόμενα δεδρακότες (Plut. Qu. Gr. 25), admodum puerile est, multoque melior originatio patet ea, ut simili modo quo Erinyes dicuntur ἄτην ἐνὶ φρεσὶ θεῖναι (cf. not. 103) ἀλάστορες dicti sint ἀπὸ τοῦ ἀλᾶν, hoc est ab errore et fraude, in quam homines inducant, quod quomodo etiam cum vindicandi potestate conveniat, ex ea veterum opinione apparet, quam et ipsi superius not. 97 attigimus et Lysias adv. Andoc. §. 21 pluribus persequitur, deos etiam noxios non semper statim punire, sed mentes ipsorum perturbare, ut aliquando sua sponte quasi in poenas meritas incurrant; cf. omnino Tafelium in nova edit. Steph. Paris. T. I, p. 1403.

mitatis atrocitas ex inveterata generis perversitate explicationem acciperet [109]; in summis tamen difficultatibus, quibus vel Sophoclis artificium dissimulandis magis quam removendis valuit [110]) tantaque varietate, qua ipsarum rerum gestarum memoria apud poëtas pariter et fabularum scriptores implicatur [111]), fere nihil restat unde in ea existimanda proficiscamur praeter ipsam illam Erinyum vim iraeque divinae argumenta, quae qui recte secum reputaverit, non dubitabit, quin antiquissimarum sanctissimarumque religionum vestigia contineant nec nisi posteriore aetate, quum omnis veterum symbolorum memoria interiisset aut obscuris tantum singulorum locorum ceremoniis aegre sustentaretur, aequalium captui accommodata in fabulosam speciem transierint, tantumque abest ut moralem quam dicunt sententiam iis

109) Cf. Maxim. Tyr. diss. XIX. 9, p. 376: *ἔοικε δὲ καὶ ταυτὶ τὰ ὀνόματα εἶναι μοχθηρίας ἀνθρωπίνης εὔφημοι ἀποστροφαὶ, ἀναθέντων αὐτῆς τὴν αἰτίαν τῷ δαιμονίῳ καὶ ταῖς μοίραις καὶ ταῖς ἐρινύσιν . . . ἡ δὲ ἐρινὺς καὶ ἡ αἶσα καὶ οἱ δαίμονες καὶ ὅσα ἄλλα εἱμαρμένης ὀνόματα, ἔνδον ἐν τῇ ψυχῇ καθειργμένα . . . ταῦτα καὶ τὸν Θυέστην ὦθεῖ ἐπὶ τὸν τοῦ ἀδελφοῦ γάμον, ταῦτα δὲ τὸν Οἰδίποδα ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς φόνον*: quam in sententiam omnino satis mature Erinyum fabulam conversam esse ostendunt veterum loci apud Bremium ad Aeschin. adv. Timarch. p. 130, quibus addi potest Lactant. VI. 19. 4: *tres sunt igitur affectus qui homines in omnia facinora praecipites agunt . . . propterea poëtae tres Furias esse dixerunt, quae mentes hominum exagitant.*

110) Cf. Aristot. Poëtic. XVIII. 14: *ἄλογον δὲ μηδὲν εἶναι ἐν τοῖς πράγμασιν, εἰ δὲ μὴ, ἔξω τῆς τραγῳδίας, οἷον τὰ ἐν τῷ Οἰδίποδι τῷ Σοφοκλέους*: quod quale sit, ipse exemplo illustravit XXV. 8, recentiori autem aetate a Voltairio maxime exagitatum defenderunt Boivinus in Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. VIII, p. 587 sqq. et Blümnerus in diss. de Oedipo rege p. 18 sqq.

111) Cf. Welckeri Nachtrag p. 143 sqq., Thudichum in interpr. German. p. 214 sqq. et 287, Wunderum ad Oed. Col. p. 18 sqq., et quos laudavi in prooem. lectt. aestiv. 1834, n. 1 — 3.

ab-initio adjunctam fuisse credam [112]), ut quaecunque ex pristina fabulae forma remansisse videantur, ita tantum explicari posse arbitrer, ubi ad causas naturales eamque religionum tellustrium formam redeamus, quam Thebani potissimum agri naturam secutam esse veri simile est. Hoc enim, ne quis erret, facile concedo adeoque contendo, Oedipi personam Thebarum propriam fuisse atque inde demum in alias civitates translatam esse, quae sive locorum natura sive aliqua religionum similitudine ad eam recipiendam idoneae essent, nec tam ad ipsa virium terrestrium symbola quam ad earum ceremoniarum memoriam pertinere, quibus Thebani potissimum deos inferos coluissent; quod nisi ita esset, non sepulcra tantum verum etiam genituram ejus ut

---

112) Welckerus in Aeschyl. Trilog. p. 354: *die alte Schuld des Laios war der erste Ring dieser ganzen Schicksalsverkettung, die Entführung des Pelopiden Chrysippos aus Pisa als erstes sträfliches Beispiel der Knabenliebe . . . daſs diese Sage ursprünglich und wesentlich ethischer Art war, ist daraus klar, daſs in Laios der Fehler selbst personificirt ist, oder daſs die Person den Fehler selbst bezeichnet;* quam tamen sententiam haud scio an ipsum jam abjecisse consentaneum sit, postquam sagacissime intellexit (Ep. Cykl. p. 100), Pisandrum illum apud Schol. Eurip. Phoen. v. 1748, qui solus omnium Sphingem a Junone γαμοστόλῳ ad ulciscendam praederastiam immissam prodidit, veterem illum Camirensem esse non posse, quo facto primus omnium, quam Chrysippi raptum commemorasse constet, Euripides erit, cujus in veteribus fabulis tradendis licentia satis nota est; nomen autem Laji etsi pariter ut Laidis ad libidinem referri patiar, prorsus idoneam explicationem habebit ab intemperantia, qua ille quamvis ab oraculo monitus uxoris usu abstinere noluit, nec dubito quin tota illa narratio, qua foedos puerorum amores invenisse ferebatur (Valck. diatr. in Eurip. p. 23), poëtarum demum aut sophistarum obscaenae sedulitati debeatur, qui quum oraculum ei mulierum consuetudine interdixisse legerent, aliud libidinis remedium quaerendum fuisse censerent, praesertim quum eos Boeotorum mores in hoc genere norimus (Plat. Symp. p. 182 B; Aelian. V. H. XIII. 5), ut reliqui Graeci in homine Thebano nihil melius exspectare potuerint, idem tamen in ipsorum Thebanorum fabulis vindicta divina dignum habitum esse omnem fidem superet; cf. et Plut. V. Pelop. c. 19.

Arionis alia quoque loca sibi vindicassent, atque ipsa exsilii species, quam in horum fabulis prae se fert, haud scio an aliquam recordationem contineat ejus fortunae, quam vetera Cadmeorum sacra post finem regni dispersis gentis reliquiis experta sint [113]; at ob eandem causam necessarium videbatur in tanta rerum Thebanarum commutatione, quantam Boeotorum invasionem sequi consentaneum erat, antequam ipsam Oedipi fabulam illustrandam aggrederemur, aliorum sacrorum comparatione, quibus cognatae originis monumenta integriora servare contigisset, religionum cum illa conjunctarum indolem propius investigare, hisque demum fundamentis positis ad antiquam Cadmeorum patriam redire, quae licet et ipsa multa illarum vestigia servarit, plurimam tamen earum memoriam in fabularum potius numerum redegisse quam certarum ceremoniarum solemnitate prosecuta esse videtur. Immo ne Cereris quidem et Proserpinae cultum Thebis adeo floruisse dixerim, ut exspectari poterat in urbe, quam illae

113) Müllerus ad Aesch. Eumen. p. 170: *Versprengte Kadmeerhaufen trugen nach Thebens Unglück und Zerstörung die heimischen Sagen, auch die von Oedipus Grabe, viel umher;* qui quod addit: *nach Attika brachte sie vielleicht das kadmeische Geschlecht der Gephyräer, welches dort aufgenommen und eingebürgert wurde*, et ipsum patrocinium invenire possit in cultu Cereris Achaeae, quam Lobeckius in Aglaoph. p. 1225 *infernam* fuisse suspicatur, *cui Feralia instituerentur cum aeris strepitu solito Manium delenimento;* quod tamen idem prudenter subjungit *gentilia* illa sacra fuisse, ut nihil inde ad Eleusinia redundet, in Colonensibus quoque derivandis caute nos versari jubet, praesertim quum Gephyraei Tanagra potius quam Thebis oriundi fuisse videantur (Preller p. 392 sqq.), ubi licet alia fabula cum Colono heroe conjuncta commemoretur (cf. not. 5), Oedipi aut ceterarum quas superius illustravimus religionum ne scintilla quidem apparet.

ipsae deae condidisse ferebantur [114]) quamque vetus fama erat Proserpinam, quum Orco nuberet, donum nuptiale accepisse [115]), ac licet hoc solo argumento satis appareat, non magis Thebis quam Colono aliisque locis, ubi Proserpinae raptus et Orci nuptiae factae esse narrabantur (cf. not. 37), Plutonia sive Charonea, quae dicebantur, deesse potuisse [116]), ceremoniarum, quae ad inferos pertinere videantur aut aliquam cum Colonensibus similitudinem referant, praeter ea quae apud filiorum Oedipi sepulcra fiebant [117]), unum tantum vestigium novimus, idque adeo ob-

---

114) Cf. Eurip. Phoen. 689: *αἱ διώνυμοι θεαὶ Περσέφασσα καὶ φίλα Δαμάτηρ θεὰ πάντων ἄνασσα, πάντων δὲ Γᾶ τροφὸς ἐκτίσαντο*, ubi Ceres et Terra juxta se ponuntur eodem modo quem supra (not. 31) illustravimus; nec dubito quin Ceres illa, quam Pausanias IX. 16. 5 pectore tantum tenus exstantem se vidisse testatur, Tellus potius quam Legifera habenda fuerit, cf. Mülleri Denkmäler d. a. Kunst n. 211 a; quod tamen Wachsmuthius ait Hell. Alterth. T. II, P. 2, p. 158: *auf der Burg erhielt sich der vorboeotische Cult der Demeter und Kora*, veterum testimoniis non satis confirmatum video.

115) Schol. Eurip. Phoen. v. 688: *δεδόσθαι γὰρ τὰς Θήβας τῇ Περσεφόνῃ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀνακαλυπτήρια, ὡς Εὐφορίων*: cf. Meinek. ad Euphor. p. 115 et Müller. Orchom. p. 217, qui tamen quod inde suspicatur (Dorier T. I, p. 401; Prolegg. p. 156) vel *Ἀνακαλυπτήρια* vel *Θεογάμια*, quae Sicilia fere tota in Proserpinae honorem celebravit (Ebert *Σικελ.* p. 5 sqq.), Thebanam originem habuisse et per Emmenidas Aegidarum subolem Agrigentum delata esse, ita tantum tolerari potest, ut simul etiam omnia eorum vestigia cum Boeotorum adventu evanuisse statuamus, posterior enim aetas nihil ejusmodi Thebis novit.

116) Cyzici certe, quod et ipsum *ἐμπροίκιον* Proserpinae datum esse tradebatur (Appian. B. Mithrid. c. 75, cf. Wessel. ad Diodor. V. 2), etiam *raptoris Ditis viam* agnoscit Propertius III. 22. 4, idemque de Nysa Cariae urbe constat, cujus Theogamia etiam nunc in numis testificationem habeat; cf. Marquardti librum: Cyzikus und sein Gebiet, Berlin 1836. 8, p. 122.

117) Paus. IX. 18. 3: *ἑξῆς δέ ἐστι τῶν Οἰδίποδος παίδων μνήματα καὶ τὰ ἐπ' αὐτοῖς δρώμενα, ἃ οὐ θεασάμενος πιστὰ ὅμως ὑπείληφα εἶναι· φασὶ γὰρ καὶ ἄλλοις οἱ Θηβαῖοι τῶν καλουμένων ἡρώων καὶ τοῖς παισὶν ἐναγίζειν τοῖς Οἰδίποδος, τούτοις δὲ ἐναγιζόντων*

scurum, ut vel a plerisque virorum doctorum neglectum sit, quod tamen eo magis persequendum duximus, quo propius jam externa specie ad earum religionum formam accedit, quas Sophoclem in Oedipo Coloneo commendare arbitramur, neque interiorem ejus indolem, si recte existimetur, ab earum fabularum genere, de quo nunc maxime agimus, alienam fore speramus. Quod enim Oedipus Sophocleus Theseo injungit, ut sepulcri sui locus clam habeatur nec nisi principi rei publicae viro notus ab hoc demum successori semper indicetur [118]), idem Thebis quoque servatum videmus in Dircae sepulcro, quod Plutarchus narrat arcanis quibusdam sacris cultum atque iis tantum cognitum fuisse, qui annuo hipparchorum munere functi ab antecessoribus suis ejus notitiam accepissent [119]); atqui Dircae sepul-

---

αὐτῶν, τὴν φλόγα, ὡςαύτως δὲ καὶ τὸν ἀπ' αὐτῆς καπνὸν διχῆ διίστασθαι: cf. Jacobs. ad Anthol. Gr. T. II, P. 2, p. 17 et ad Philostr. Imagg. II. 29, p. 554.

118) Oed. Col. v. 1520 sqq., ubi haec imprimis nos advertunt v. 1530:

ἀλλ' αὐτὸς ἀεὶ σῶζε, χῶραν εἰς τέλος
τοῦ ζῆν ἀφικνῆ, τῷ προφερτάτῳ μόνῳ
σήμαιν', ὁ δ' ἀεὶ τῷ 'πιόντι δεικνύτω:

quae nollem Thudichum p. 283 ad regum tantum aetatem restrinxisset *(da das Geheimnifs des Ortes mit den Königen mufste verloren gegangen seyn)*; archontes quoque quamvis annuis vicibus sibi succedentes haec sacra pariter ac reliqua a regibus tradita curare potuisse Thebanorum exemplum, quod proxime tangemus, satis docet.

119) Plut. de Socr. daem. c. 5: *ἐπανελθὼν δὲ ἐκεῖθεν οἷός ἐστιν τὸν Δίρκης ἀναζητεῖν τάφον, ἄγνωστον ὄντα τοῖς Θηβαίοις πλὴν τῶν ἱππαρχηκότων· ὁ γὰρ ἀπαλλαττόμενος τὸν παραλαμβάνοντα τὴν ἀρχὴν μόνος ἄγων μόνον ἔδειξε νύκτωρ, καί τινας ἐπ' αὐτῷ δράσαντες ἀπύρους ἱερουργίας, ὧν τὰ σημεῖα συγχέουσι καὶ ἀφανίζουσι, ὑπὸ σκότος ἀπέρχονται χωρισθέντες.*

crum, hoc est locum, ubi famosissima illa Amphionis et Zethi noverca condita fuerit, nullum novimus praeter ipsum fontem sive amnem potius Dircaeum, cujus undis illam privigni obruisse ferebantur [120]), utque concedamus hanc ipsam fabulam ad loci illius naturam potius quam ad rem vere factam spectare, eandem ob causam Dircen nullis aliis ceremoniis coli oportebat, nisi quibus et alibi fontium et fluviorum numina colerentur; quod si inferias illi nocturnas, Oedipodeis simillimas, oblatas esse legimus, facilis est suspicio, praeter illam fabulosae Dircae mortem alias quoque religiones cum his locis conjunctas fuisse, quae propius ad nocturnorum sacrorum horrorem accederent Dircaeumque nomen ita tantum quasi in consortium suum traxissent, quia omne hoc genus, quod ad virium terrestrium cultum et sacra inferna pertinebat, fontium vicinia et communione aliqua, ut superius vidimus, carere non posse videbatur. Hoc autem quale Thebis fuisse dicamus, non est quod longe circumspiciamus, si quidem draco ille, quo necato Cadmus fundamenta gentis Thebanae jecisse tradebatur, ad ipsam Dircen fabulosam sedem habuit [121]); quem quo majore jure huic nostrae quaestioni

---

120) Apollod. III. 5. 5: *τὴν δὲ Δίρκην δήσαντες ἐκ ταύρου θανοῦσαν ῥίπτουσιν εἰς κρήνην τὴν ἀπ' ἐκείνης καλουμένην Δίρκην.* De fonte vel fluvio Dircaeo cf. Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 76 et Ungeri spec. Theban. p. 14 sqq.

121) Eurip. Phoen. v. 661 sqq. — Hyginus Fab. VI Castalium fontem appellat, manifesto errore, sed qui similitudinem certe cum Pythone Delphico, quam proxime attingemus, luculente comprobet; quod autem apud Apollod. III. 4. 1 et Phot. Lex. p. 120 *Ἀρεία κρήνη* dicitur, quam a Neptuno emissam ait Aesch. Sept. v. 291, eadem Arionis equi causa erat; cf. not. 69.

immisceamus, scholiastae Sophoclei testimonium efficit, qui eum Marte et Tilphossa Eriny genitum fuisse refert [122]), Tilphusaei autem fontis superius vidimus quae partes fuerint in Arionis genitura, quem licet Neptuno patre satum tamen et Erinyn matrem habuisse et nomen a Marte accepisse ibidem monuimus, nec tertium his addere dubitamus Pythonem Delphicum et ipsum draconem terrae filium [123]), quem ne nomine quidem prorsus a Tilphusae vocabulo alienum [124]) antiquissimus hymnus Homericus in Apollinem ita cum hac conjungit, ut vel in tanto locorum et fortunae discrimine aliqua utriusque cognatio et causarum similitudo appareat [125]); quibus omnibus comprehensis haud scio an probabiliter suspicari liceat, antiquissimas illas religiones, quas

---

122) Schol. Antig. v. 126: ἐγεγόνει ὁ δράκων ἐξ Ἄρεως καὶ Τιλφώσσης Ἐρινύος, quam recte Prellerus p. 164 monet eandem esse quam Erinyn apud fontem Tilphusium, quam superius n. 71 cognovimus. Martem patrem alii quoque narrant, cf. Valcken. ad Eur. Phoeniss. p. 253 et Sturz. ad Hellanici Fragm. p. 69.

123) Cf. Ovid. Metamorph. I. 438 et Hygin. Fab. CXL.

124) Quippe et fontem Δελφοῦσαν (Müller ad Aesch. Eumen. p. 142) et ipsorum Delphorum nomen Tilphusae cognatum esse monuerunt Welckerus (über e. kret. Kol. p. 43) et Müllerus (Orchom. p. 148), ipsumque draconem Δελφύνην s. Δελφῖνα appellant Apollon. Rhod. Argonaut. II. 706, Dionys. Perieg. v. 442 et alii, quos laudant Spanhem. ad Callim. H. in Delum v. 91 et Müllerus in Dor. T. I, p. 316 sqq.; quod si recte hos dracones cum Arione Terrae filio comparavi, ne illud quidem absonum erit quod superius (cf. not. 51) hariolatus sum, delphinem Taenarium fortasse propius ad Arionem equum quam poëtam pertinere.

125) Si quidem Tilphusa Apollinem locum templo idoneum quaerentem callido consilio procul a se Delphos ablegat, scilicet ut illic draconis oraculi custodis vi occumbat (v. 275:

ὡς εἰποῦσ' Ἑκάτου πέπιθε φρένας, ὄφρα οἱ αὐτῇ
Τιλφούσῃ κλέος εἴη ἐπὶ χθονί, μηδ' Ἑκάτοιο),

quo deinde occiso deus iratus ad Tilphusam redit ejusque perfidiam ita ulciscitur, ut et ipsi occluso fonte exitium afferat suumque numen in illius locum substituat.

quamvis diversa sub specie omnes tamen communi tellustrium numinum timore reconditarumque naturae virium reverentia junctas fuisse intelleximus, quum aliis in locis tum Thebis eam potissimum vel originem habuisse vel formam accepisse, ut vim infernam imprimis etiam pestilenti illa putredine cerni arbitrarentur, quae in locis humidis ac depressis ex fontium scaturigine aquarumque terrestrium stagnationibus oriri solet, eamque draconis imagine expressam, eodem modo quo supra fontes equorum nomine insignitos vidimus, patre tantum in pestilentiae significationem mutato, ad Tellurem matrem, quam eandem cum Cerere et Eriny habendam esse diximus, referrent. Delphicum certe draconem ipso nomine suo putredinem exprimere satis constat [126]), neu quis temere Delphos Apollinis sedem cum sacris infernis confundi arguat, unde nihil illo alienius esse poterat, ante Apollinem alia numina ibidem culta esse non solum

---

126) Hanc originationem jam hymnus Hom. in Apoll. v. 363 sqq. quamvis ad mortuum demum draconem conversam indicat, unde Pausan. X. 6. 3: *λόγος δὲ, ὃς ἥκει τῶν ἀνθρώπων ἐς τοὺς πολλοὺς, τὸν ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος τοξευθέντα σήπεσθαί φησιν ἐνταῦθα, καὶ διὰ τοῦτο τὸ ὄνομα τῇ πόλει γενέσθαι Πυθώ· πύθεσθαι γὰρ δὴ τὰ σηπόμενα οἱ τότε ἔλεγον*, et Eustath. ad Iliad. B, v. 519: *Πυθὼν ἐκλήθη διὰ τὸν ἐκεῖ τοξευθέντα ὑπ' Ἀπόλλωνος καὶ σαπέντα δράκοντα, ὡς ἐκ τοῦ πύθω τὸ σήπω*: quae etsi proxime ad urbem tantum spectant, tamen etiam draconem apparet, si quidem ipsum *Πυθῶνα* appellatum esse constat (cf. Muncker. ad Hygin. p. 208; Heyn. ad Apollod. I. 4. 1), non urbi modo putredine sua nomen indidisse, sed ipsum quasi putredinem in se continere debuisse. Quam enim alii etymologiam proferunt ab eo quod est *πυνθάνεσθαι* (Schwenck etymol. mythol. Andeut. p. 205), jam antiqui intellexerunt (cf. Strabo IX, p. 419) ita tantum ferri posse, ut priorem syllabam per licentiam poëticam produci statuamus; quare satius erit in altera acquievisse, quae etiam Ovidii loco in Metam. I. 416 sqq. admodum confirmatur.

inde patet, quod oraculum antea vel Themis vel Terra tenuisse fertur [127], verum etiam ex ipsa permutationis fabula, qua ille Delphos a Neptuno accepisse credebatur [128], quam si ad naturalem potestatem redigere conamur, nihil aliud significabit nisi temporis decursu, sive peregrinorum colonorum adventu sive ipsa soli cultura hominumque sollertia adaucta, simul agros exsiccatos esse inque veterum illarum religionum locum mitiora et ut ita dicam humaniora sacra successisse, qualia Apollinaria fuisse nemo negat [129]; similem autem aliorum quoque locorum fortunam fuisse, ubi Chthoniorum deorum vestigia invenimus, et Oncaei cognomen ostendit, quo Apollo prope ipsam Thelpusam Arcadicam Arionis patriam colebatur [130], et Tilphusaei, quod inde accepisse tradebatur, quia fontis illius ostium obturasset eoque facto, ut videtur, agros circumjacentes ab inundatione

---

127) *Θέμις καὶ Γαῖα, πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία*, Aeschyl. Prometh. v. 210; cf. Eumen. v. 2 sqq. et Pausan. X. 5. 3. Pythonem ipsum ante Apollinem oracula dare solitum narravit Hyginus et Schol. Pind. Pyth. argum. p. 297 Boeckh.

128) Cf. Pausan. II. 33. 2: *Καλαύρειαν δὲ Ἀπόλλωνος ἱερὰν τὸ ἀρχαῖον εἶναι λέγουσιν, ὅτε περ ἦσαν καὶ οἱ Δελφοὶ Ποσειδῶνος· λέγεται δὲ καὶ τοῦτο, ἀντιδοῦναι τὰ χωρία σφᾶς ἀλλήλοις, φασὶ δὲ καὶ λόγιον μνημονεύουσι·*

Ἶσόν τοι Δῆλόν τε Καλαύρειάν τε νέμεσθαι,
Πυθώ τ' ἠγαθέην καὶ Ταίναρον ἠνεμόεσσαν:

et quae praeterea attulit Müllerus in Aeginet. p. 26 sqq., neque aliena sunt, quae Schwenckius habet in Mythol. Skizzen p. 20 sq., praesertim si quis nostra in not. 66 et 67 comparet; spatii tamen et temporis angustiis exclusi haec ut multa alia longius persequi prohibemur.

129) Cf. Müller. Dorier, T. I, p. 324 sqq.; Göttling in Annalibus qui inscribuntur Hermes, T. XXIX, p. 255.

130) Paus. VIII. 25. 5.

liberasset [131]); nec Thebis dubitamus quin aut draconis illius caedem a Cadmo factam, quam proxime sementis secuta esse dicitur, aut Dircae necem, quam nunc demum arctiore cum illa vinculo jungere audemus, ad pares incolarum conatus referre liceat, quarum altera suasorem certe viaeque monstratorem Apollinem habuit [132]), altera autem Amphioni tribuitur, quem haud scio an et Lycus pater et lyrae inventio aliquo modo comparari cum illo patiantur [133]). Neque in hac una similitudine antiquissimae Delphorum Thebarumque naturae comparatio subsistit, quae etsi ad universam fabularum Cadmearum indolem existi-

---

131) Hom. H. in Apoll. v. 382 sqq.

132) Apollod. III. 4. 1; Schol. Eurip. Phoen. v. 641.

133) Sequor enim Hygini fab. VII, ubi Antiopa propter stuprum ab Epapho sive Epopeo ipsi illatum *a Lyco viro suo* ejecta esse dicitur; altera fabulae forma, qua patruum tantum non maritum Lycum habet (cf. Apollod. III. 5. 5; Pausan. II. 6. 2), eodem Hygino teste in fab. VIII Euripidi demum originem debuisse videtur, qui conjugii violati suspicione mulierem liberare vellet, neque Homeri auctoritas huic sententiae obstat; qui quod Jovem patrem Amphioni et Zetho tribuit, Lycum non magis ademit, quam Dioscuris Tyndarum, licet ipso nomine Joviam originem prae se ferrent. Lyci autem nomen sicut omnino saepius in fabulis Apollinaribus recurrit (cf. Creuzeri Symbol. T. II, p. 136; Mülleri Dorier T. I, p. 303), ita hic quoque *lucis* argumentum continere, ex fratre Nycteo apparet, qui *noctis* instar illi opponitur filiaque Nycteide Polydoro Cadmi filio in matrimonium data Cadmeorum stirpi immiscetur, dum Lycus ejusque filii occupato regno adversarii potius Labdaci et Laji exsistunt (cf. Müller. Orchom. p. 229; Welcker kret. Kolonie p. 89); quod si Antiopam et ipsam Nyctei filiam a Jove vel Epapho genitali numine (Her. II. 153; III. 28) gravidam factam ad telluris vim et agrorum fecunditatem retulerimus, tota fabula commodissimam hanc explicationem habebit, ut Dircaeum fontem exundatione sua agros oppressisse et terram palude mutasse statuamus, donec homines mitigandae vitae studiosi iidemque aggerum exstruendorum periti quasi injuriam almae matri factam ulciscerentur amnemque certo alveo dirigerent, quod ipsum haud scio an tractae Dircae imagine declaretur; taurum certe ad agrorum hominumque culturam pertinere nota res est, cf. Creuzeri Symbol. T. IV, p. 58.

mandam haud exigui momenti est, Oedipi rebus illustrandis parum aut nihil lucis afferre videretur, nisi aliae res accederent, quarum ope nos in tanta caligine aliquid certe visuros esse non desperamus: et primum quidem illud satis memorabile est, quod Cadmus pariter et Apollo draconum caedem servitio luisse dicuntur [134]), unde apparet ne victa quidem et repressa numina illa terrestria timeri desiisse, sed tum demum placanda visa esse, ne injuriam ab hominibus acceptam ulciscerentur ruptisque vinculis vim suam noxiam in temeraria capita exercerent, idque etiam sacris illis nocturnis, quae apud Dircae sepulcrum fieri vidimus, qualiacunque fuerint, propositum fuisse nostro jure suspicari nobis videmur; Oedipi autem causam, praeter commune gentis Cadmeae piaculum, quod ne quis à Lajo demum repetat Cadmi poena satis monet [135]), etiam propius attingunt

134) Müller ad Aesch. Eumen. p. 142: *so dient Kadmos dem Ares als Vater des ermordeten Drachen eine Periode von acht Jahren; so Apollon die gleiche Zeit für die Tödtung des Python;* cf. Apollod. III. 4. 2 et Phot. p. 120: *ὅτι Κάδμος ἀνελὼν τὸν τὴν Ἀρείαν κρήνην τηροῦντα δράκοντα ἐθήτευσεν Ἄρει ὀκτὼ ἔτη.* Apollo servit Admeto, quem eundem cum Orco esse Müllerus in Prolegg. p. 306 probabiliter conjecit; neque Martem, *τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεὸν*, secundum ea quae superius not. 69 diximus, eodem referre dubitamus, Apollinarium autem sacrorum auctoritati (Müller. Dor. T. I, p. 236) mitiorem tantum piaculi formam tribuimus.

135) Müller ibid. p. 169: *die Siedler in den dichten Wäldern um die Dirke hatten wohl zuerst selbst die Demeter als Erinys kennen lernen müssen, ehe sie, nachdem es gelungen, die Sümpfe des quellreichen Bodens zu trocknen, und die Wälder auszuroden und in fruchtbares Ackerland zu verwandeln, in ihr die milde segensreiche Göttinn empfanden ... aber obgleich der Drache erlegt ist, so wirkt ein Groll desselben (μήνιμα δράκοντος) durch die ganze thebanische Mythengeschichte fort;* cf. Eurip. Phoen. v. 941:

Κάδμου παλαιῶν Ἄρεος ἐκ μηνιμάτων,
ὃς γηγενεῖ δράκοντι τιμωρεῖ φόνον:

ea, quae idem ille hymnus Homericus, unde Apollinem Tilphusium pariter ac Delphici draconis victorem cognoscimus, de Typhone olim a Junone matre ipsius Pythonis curae tradito narrat [136]), quem quum luce clarius sit nihil aliud significare nisi vortices sive turbines procellosos [137]), quos quamvis aëria specie a terra tamen exhalari etiam posterior aetas credidit [138]), ne Sphingem quidem ad hoc naturalium pestium genus referre dubitabimus, quam et ipsam a Junone missam [139]) cum illis

---

unde simul apparet quo jure Welckerus (cf. not. 112) a Lajo demum calamitatum seriem, qua Oedipi domus conflictata est, repetendam duxerit.

136) Cf. Homer. H. in Apoll. v. 305, ubi Matthiae recte in auxilium adhibet Apollod. I. 6. 3, qui Typhonem narrat Jovem in Corycium antrum ablatum, quo nomine Delphis pariter atque in Cilicia locus insignis erat (Strabo IX, p. 417), Delphynae dracaenae custodiendum tradidisse, quam eandem cum Pythone fuisse superius not. 124 vidimus; fuitque adeo qui Typhonem et Pythonem per anagrammatismum tantum diversos existimaret (cf. Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 91), etsi illius nomen profecto rectius cum Platone in Phaedro p. 230 A ab eo quod est *τύφω* derivabimus.

137) Plin. Hist. Nat. II. 49; Gell. Noct. Att. XIX. 1; cf. Voss. Mythol. Briefe T. I, p. 264. Hesiodum ipsum (Theog. v. 307) *Typhonem* hoc est *Vaporinum* ventum appellare, apte monuit G. Hermannus Opuscc. T. II, p. 181, idemque T. VI, P. 1, p. 172 recte Göttlingium reprehendit, qui *Τυφάονα* et *Τυφοέα* distinxit, licet etiam hymnus Homericus his vocabulis promiscue utatur.

138) Plin. Hist. Nat. II. 42: *extra has causas non negaverim exsistere imbres ventosque, quoniam humidam a terra, alias vero propter vapores fumidam exhalari caliginem certum est;* quo respicit etiam cap. 49: *nunc de repentinis flatibus, qui exhalante terra, ut dictum est, coorti rursusque dijecti, interim obducta nubium cute multiformes exsistunt;* cf. Aristoteles apud Senec. Quaestt. Natur. II. 12: *terrenus vapor siccus est et fumo similis, qui ventos, tonitrua et fulmina facit;* qua in cognatione humorum terrestrium, unde fontes oriuntur, et exhalationum, unde venti et procellae, nihil mirum est equos quoque in fabulis veteribus, quos haud raro fontium locum tenere superius vidimus (cf. not. 59), et alios (cf. Voss. l. c. T. I, p. 225 et Preller. p. 152) et ipsum Arionem (cf. not. 29) Harpyias matres accepisse, quarum imagine procellas significari satis constat, cf. Nitzsch. ad Hom. Odyss. A, v. 241.

139) Sphingem a Junone hoc est aëre missam tradunt Pisander apud Schol. Eurip. Phoeniss.

monstris, quibus naturae vires perniciosas exprimi satis constat, non stirpe modo [140]) verum etiam loco situque arctissime conjungi apud veteres videmus. Sive enim Euripidem sequimur, circa Dircaeum fontem et ipsa versabatur, quam draconis Martii sedem superius cognovimus [141]), sive plurimorum auctorum consensum secuti in monte illam collocamus, qui Sphingii nomen ab illa accepisset [142]), huic ipse Hesiodus proxime addidit Typhaonium [143]), ubi pariter ac sub Aetna Siciliae monte Typhonem conditum latere volebant [144]); utque mittam, quod ex confusione

---

v. 1748 (cf. not. 112) et Apollod. III. 5. 8: *ἔπεμψε γὰρ Ἥρα Σφίγγα, ἣ μητρὸς μὲν Ἐχίδνης ἦν, πατρὸς δὲ Τυφῶνος· εἶχε δὲ πρόσωπον μὲν γυναικὸς, στῆθος δὲ καὶ βάσιν καὶ οὐρὰν λέοντος καὶ πτέρυγας ὄρνιθος.* Alii ad Liberum referebant (cf. Schol. Hesiod. Theog. v. 326), quem passim Cadmeorum fabulis immixtum ab hac quaestione, ne diversa confunderemus, prorsus sejungendum duximus.

140) Apollodorus filiam, Hesiodus neptem Typhonis narrat ex filio Orthro, quod eodem redire facile apparet; neque illud nos movet quod ex Hesiodi verbis alii Echidnam alii Chimaeram matrem collegerunt, cf. Mützell de emend. Theog. p. 461; Apollodoro certe Echidna cum Euripide (Phoen. v. 1027) communis est, quodque hic insuper addit *γᾶς λόχευμα*, et ipsum rationibus nostris universis mirum quantum convenit. Praeterea illud nos advertit, quod ex septem ducibus apud Aeschylum, qui Thebas aggrediuntur, Hippomedon Typhonis, Parthenopaeus Sphingis signum in scuto gerit, ut hinc quoque veri simile fiat utrumque pariter Thebanis infestum visum esse.

141) Eurip. Phoeniss. v. 1031: *Διρκαίων ἅ ποτ' ἐκ τόπων νέους πεδαίρουσ' ἄλυρον ἀμφὶ μοῦσαν ὀλομέναν δ' Ἐρινὺν ἔφερες ἔφερες ἄχεα πατρίδι κ. τ. λ.*

142) Tzetzes ad Lycophr. v. 7: *αὕτη λῃστρὶς ἦν παρὰ τὴν Μωάβην χωρίον Θηβῶν καὶ τὸ Φίκιον ὄρος καὶ ἀνῄρει τοὺς παριόντας κ. τ. λ.* De Moabe nihil praeterea constat, *Φίκιον* autem pro *Σφιγγίῳ* dictum est ut *Φὶξ* pro eo quod est *Σφίγξ*: cf. Graevius ad Hesiod. Theogon. v. 326 et Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 813.

143) Hesiod. Scut. Herc. v. 32: *τάχα δ' ἷξε Τυφαόνιον, τόθε δ' αὖτις*
Φίκιον ἀκρότατον προσεβήσατο μητιέτα Ζεύς.

144) Schol. Pind. Olymp. IV. 11: *ἔνιοι δὲ ἐν Πιθηκούσαις φασὶ τὸν Τυφῶνα . . . οἱ δὲ ἐν τῷ ὄρει τῷ κατὰ Βοιωτίαν*: cf. Müller. Orchom. p. 62.

ortum videtur, Oedipum in Sphinge debellanda pariter ut Cadmum in dracone occidendo Minervae consilio adjutum dici [145]), ipsa Sphingis et species et denominatio illam sententiam quam maxime commendant; forma certe proxime ad eam accedit, quam in Chimaera et Echidna aliisque portentis cernimus, quae dudum ad vires naturae subterraneas relata sunt [146]); nomen autem primo adspectu velut Anginam aliquam declarat, quae homines constringendo suffocarit atque enecarit [147]), neu quis eam externa quadam similitudine inductus ex Aegyptiorum potius monumentis quam Graecorum ingeniis repetendam censeat [148]), longe

145) De Cadmo Minervae consiliis adjuto cf. Eurip. Phoen. v. 671 et Apollod. III. 4. 1, de Oedipo Philochorum apud Natalem Comitem de Mythol. IX. 18: *Philochorus in libro de sacrificiis Minervae consilio edoctum Oedipum inquit societate rapinae simulata se ad Sphingem contulisse atque novis semper sociis Oedipo se addentibus denique illam cum magna suorum manu oppressisse.* Alii somnium narrant, ut Pausan. IX. 26. 2.

146) De Sphingis forma vide Apollodori locum modo not. 139 laudatum, unde simul apparet etiam apud Tzetzem ad Lycophr. v. 7 inverso ordine legendum esse: *τὴν δὲ Σφίγγα λέγουσιν ἔχειν εἶδος ὄπισθεν μὲν λέοντος, ἔμπροσθε δὲ ἀνθρώπου, γυπὸς ὄνυχας, πτέρυγας ἀετοῦ καὶ τοιαῦτα τεράστια*; alios larga manu congessit Vossius l. c. T. II, p. 22—34, quorum unum tantum usurpabo Pisandri apud Schol. Phoen. v. 1748, qui non leonis sed dracaenae caudam ei tribuit, ut major etiam similitudo exsistat cum Typhone et Echidna, quam Hesiodus (Theog. v. 298) pariter atque Herodotus (IV. 9.) appellat

ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρῃον,
ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε,

neque Pythonis illa gemina Delphyne (cf. not. 136) hinc aliena est, quam Apollodorus et ipsam *ἡμίθηρα κόρην* appellat; has omnes autem pariter ac Chimaeram ad terrae motus et loca ignivoma pertinere acute docuit G. Hermannus Opuscc. T. II, p. 181 sqq.

147) Ab eo quod est *σφίγγω*, *ango*; cf. Müller. Orchom. p. 121 et Hermanni Opuscc. T. II, p. 183.

148) Sic, ut alios mittam, quos tota placitorum suorum ratio in hanc sententiam incumbere cogebat, vel Hauptius in Quaestt. Aeschyl. spec. III, p. IV et Müllerus, quem miror l. l. ita

profecto veri similius est Graecos Aegyptiorum signum, quod ex ore humano et corpore ferino compositum viderent, ex suarum fabularum comparatione nuncupasse, quam aut nomine aut forma ex peregrinis terris translata vim aliquam ei indidisse, quam illorum Sphingem nunquam habuisse satis constat [149]).

---

scribere potuisse: *von der Sphinx ist an sich klar, dafs der Name Hellenisch, die Gestalt Aegyptisch, und auch die sogenannte Hellenische Sphinx auf Münzen von Chios nur eine Hellenisirung der Aegyptischen ist*, unde facilem reprehendendi ansam praebuit Creuzero in Symbol. T. II, p. 700. Et Chiorum quidem Sphinges (cf. Creuzeri Symbol. T. III, p. 159), quoniam omnino obscura illorum origo est (Paus. VII. 4. 6), mittere nunc praestat; Thebanam autem non videmus cur magis Aegyptiacam dicamus quam Echidnam illam et Delphynam, de quibus not. 146 egimus, praesertim quum Aegyptios saepe quidem capita ferina cervicibus humanis, raro autem praeterea caput humanum alieno corpori imposuisse videamus, neque inter antiquos novi qui illinc eam repetere ausus sit, quam vel personatus ille Pisander apud Schol. Eurip. Phoen. v. 1748 ἀπὸ τῶν ἐσχάτων μερῶν τῆς Αἰθιοπίας potius venisse dicit. Optime Thudichum in interpr. Germ. p. 216: *die griechische Sphinx ist wohl nachmals mit der fremden verglichen und diese ihr gleich benannt worden.*

149) De Sphinge Aegyptiaca copiosissime, ut solet, Creuzerus agit in Symbol. T. I, p. 495 sqq.; quam tamen sive ad constellationem aliquam coelestem (cf. Winckelmann's Werke, herausg. von Meyer T. III, p. 329), sive ad templorum custodiam (Böttiger's Vasengemälde Fasc. III, p. 98), sive ad simiarum genus retuleris (Ehrenberg über den Cynocephalus und den Sphinx der Aegyptier, in Abhh. d. Berl. Akad. 1832), cum iis quae Thebanorum Sphingi tribui videmus, non multum commune habebit; quam autem Creuzerus l. c. T. I, p. 76 utriusque similitudinem in *aenigmate* positam significat (*daher ward auch das Räthsel ein uralter Ausdruck höherer Erkenntnifs . . . so wie die Dichtung von der Sphinx, die im alten Aegypten ein Symbol göttlicher Weisheit, von den Griechen als Räthselgeberinn verewigt ward)*, ut omittam illud de Aegyptiis suspicione tantum niti, eo minus nos movet, quo acutius ipse comparando vocabulo quod est γρῖφος indicavit, quo pacto Sphingis vis ad aenigmata proponenda transferri potuerit; sicut enim illud a *retis* significatione in aenigma transiit, cujus nodis quasi irretiri homo videretur, ita etiam hujus nomini, quod a constringendo inque angustias compellendo ductum vidimus, postquam apud poëtas naturalem potestatem fabulosa et quasi humana mutaverat, nihil magis quam aenigmatum usus convenire videri poterat, unde recte Fea ad Winckelmannum l. c. p. 330: *so dafs bei den Griechen jeder witzig und räthselhaft Sprechende ein Sphinx genannt wird.*

Quae quum ita sint, nostro jure statuere nobis videmur, priscos Boeotiae incolas, quos ex ipsa locorum natura religionum suarum formam ducere necesse erat, tantam paludosi situs crassique aëris inde oriundi [150]) vim in pestilentiis aliisque calamitatibus expertos esse [151]), ut timor, unde primos in orbe deos natos diximus (cf. not. 98), ad nulla magis quam terrestria illa numina, quae superius cognovimus, colenda eos impelleret, atque etiam si posteriore aetate sive ipsa re cogente sive ab externis advenis edocti [152]) paludes exsiccare noxiosque vapores reprimere coepissent, propter eandem causam, quidquid deinde malorum publicorum paterentur, ad illorum numinum iram retulisse, praesertim si aliqua semper tempestatis iniquitas remaneret, unde iteratas lues etiam tum oriri consentaneum esset [153]); his autem positis omnia vin-

---

150) Crassum Thebarum coelum etiam posteriore aetate testantur Cicero de Fato c. 4 et Horat. Epist. II. 1. 244.

151) Hoc est, nisi fallor, quod Apollodorus narrat: *φρουρῶν δὲ τὴν κρήνην δράκων, ὃν ἐξ Ἄρεως εἶπόν τινες γεγονέναι, τοὺς πλείονας τῶν πεμφθέντων διέφθειρεν*, videndumque ne ipsa illa Spartorum clades, quae draconis necem proxime secuta esse dicitur, veteris alicujus pestilentiae memoriam contineat.

152) Phoenices certe, unde Cadmus Thebarum conditor originem duxisse fertur, hujus ipsius artificii peritissimos fuisse eamque operam etiam Graecis antiquissimis passim praestitisse, Boettigero (in Amalthea T. II, p. 316) facile credimus, neque consilium quod Minerva Cadmo dedisse ferebatur (cf. not. 145) ad eandem novorum colonorum sollertiam referre dubitamus, quos etsi superius (not. 76) Oncam secum attulisse negavimus, facile tamen fieri poterat, ut etiam antiquius gentis numen in eos potissimum transiret, qui ejus suasu tantas res egisse videretur.

153) Sic praeter notissimam illam pestilentiam, quae in Sophoclis Oedipo Rege describitur, etiam illa clades, qua Amphionis et Niobes liberi occidisse dicuntur, a Pausania IX. 5. 5 aliisque ad *λοιμώδη νόσον* refertur, qualem Apollinem et Dianam immittere pervulgata opinio erat; cf. C. E. J. Burmeister de fabula quae de Niobe ejusque liberis agit (Vismar. 1836. 8) p. 79 sqq.

dictae divinae Furiarumque potestatis argumenta, quibus antiqua Cadmeorum memoria abundat, facillimam explicationem habebunt ex illo virium terrestrium vel infernarum horrore, quo Erinyum nomen spectare probabiliter, ut speramus, suspicati sumus [154]), quemque Laji exemplum docet eousque crevisse, ut satius videretur nullos liberos quam in apertam perniciem procreare [155]), neque Sphingis fabulae aliam sententiam subesse arbitramur, nisi victimarum humanarum, quibus quasi satiare deorum crudelitatem primitiisque vel decimis oblatis pacem eorum redimere miseri illi conati sint. Has enim apud antiquissimas Graeciae gentes non minus quam apud barbaricas olim usitatas fuisse, certissimis testimoniis ita confirmatur, ut ejusmodi suspicio

---

154) Cf. sup. not. 53 et 106 sqq.; hue autem imprimis facit quod Eurip. Phoen. v. 1036 ait Sphingem *ὀλομέναν ἐρινὺν* attulisse, unde intelligimus hoc vocabulo ipsam vim sive numen pestiferum et funestum indicari; scholiasta: *ἐνταῦθα δὲ ἐρινὺν οὐ τὴν κατάραν λέγει, οὐδὲ τὴν ἔφορον τῶν καταρῶν θεὰν, ἀλλὰ τὰ δάκρυα καὶ τοὺς φόνους κ. τ. λ.*

155) Oraculi enim interdictum a poëtis demum interponi necesse erat, qui ex sequioris aetatis sententia nihil sine Apolline geri posse putarent; propius ad genuinam fabulae formam accedere videtur Argum. Aesch. Sept. p. 133: *ἢ συνελθεῖν καὶ τέκνα ποιῆσαι οὐκ ἐτόλμα, τὰς τοῦ Πέλοπος δεδιὼς ἀράς*, ubi licet itidem perperam immixtum Pelopem censeamus, ut aliqua scilicet Laji culpa appareret (cf. not. 112 et Schol. Phoen. v. 66), Diras tamen, quas haud raro cum Furiis aut conjungi aut confundi constat (cf. Aesch. Eumen. v. 411 et Wunderlichii Obss. crit. in Aesch. Trag. p. 89 sqq.), libenter amplectimur, ut appareat non Apollinis demum effato sed antiquae simultatis conscientia Lajum a procreandis liberis absterritum esse. Quod enim fuerunt qui ex Oedipi regis verbis apud Sophoclem v. 260: *εἰ κείνῳ γένος μὴ 'δυστύχησε*, olim procreatos fato illum amisisse colligerent, neutiquam necessarium esse interpretes recte intellexerunt, mirorque Welckerum, qui (Ep. Cykl. p. 258) persuaderi sibi passus est, ut filios, quos Pherecydes apud Schol. Phoen. v. 53 Oedipum ex Iocaste suscepisse tradidit, ad Lajum transferret atque inde locum illum Sophocleum lucem accipere narraret!

ab omni temeritatis specie libera sit [156]), neque aut Boeotiae moribus aut ipsarum harum fabularum, de quibus nunc loquimur, indoli et naturae quidquam in illa repugnare, et Potniensium exemplo comprobari potest, quos Libero olim puerum immolasse legimus [157]), et Thespiensium, quos Pausanias narrat aliquando, dracone ipsorum urbem affligente, jussos esse quot annis adolescentem sorte ductum belluae objicere, donec unus eorum machinam invenerit, qua secum simul illum perdiderit [158]); quod quum proxime huc pertinere et reliqua fabulae similitudo et locorum vicinia suadeat, qua Thespiae pariter ac Thebae cum Sphingio monte continebantur, haud scio an Thebanos quoque, quos aenigmatis expediendi ignaros Sphinx devorasse dicebatur [159]), victimarum loco habere liceat, quae statis

156) Cf. de Thargeliis Atheniensium Meurs. Lectt. Att. IV. 22; de Dionyso Ὠμηστῇ apud eosdem Creuzeri Symb. T. III, p. 334; de Jovis Lycaei sacris in Arcadia Boettigerum in Sprengelii Beitr. z. Gesch. d. Medicin T. I, P. 2; de Jove Laphystio Müller. Orchom. p. 163 sqq., pluraque apud Meinersium in Comm. Soc. Gott. T. VIII, p. 68 — 84, T. IX, p. 63 — 86, quosque praeterea laudat Wachsmuthius in Hellen. Alterthumskunde T. II, P. 2, p. 224, quibus adde Clavierii Hist. des prem. tems de la Grèce T. I, p. 32.

157) Pausan. IX. 8. 1, ubi illud imprimis tenendum est hoc quoque pestilentiae averruncandae causa institutum esse: ἀποκτείναντας δὲ αὐτίκα ἐπέλαβε νόσος λοιμώδης, καί σφισιν ἀφίκετο ἅμα ἐκ Δελφῶν, τῷ Διονύσῳ θύειν παῖδα ὡραῖον κ. τ. λ.

158) Ibid. IX. 26. 5.

159) Cf. Apollod. III. 5. 8: χρησμοῦ δὲ Θηβαίοις ὑπάρχοντος, τηνικαῦτα ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς Σφιγγὸς, ἡνίκα ἂν τὸ αἴνιγμα λύσωσι, συνιόντες εἰς αὐτὸ (scil. τὸ Φίκειον ὄρος) πολλάκις ἐζήτουν τί τὸ λεγόμενόν ἐστι· ἐπὰν δὲ μὴ εὕρισκον ἁρπάσασα ἕνα κατεβίβρωσκε: unde quod iteratis vicibus singulos semper ipsi in praedam cessisse apparet, mea quidem sententia certissimum solemnis ceremoniae documentum praebet.

temporibus quasi tributum numini irato solverent [160]). Quid quod Antigonae quoque Sophocleae argumentum eodem trahi possit, siquidem erant qui Haemonem Creontis filium et ipsum inter eorum numerum referrent, qui Sphingis crudelitate periissent [161]); quem etsi vulgaris fabula sua potius manu propter Antigonae amorem in tumulo subterraneo occubuisse tradebat, haec ipsa tamen ex vetere fama sacrificii diis inferis oblati oriri potuerat, cui sero demum Apollineorum vatum, qualem Tiresiam novimus, auctoritas finem imposuisset; utque hoc longius petitum videatur, alterius certe Creontis filii Menoecei mortem eo certius huc revocamus, quo disertius ipse Euripides declarat apud Dircaeum fontem, ubi draco olim excubuerit, ad Martis iram expiandam hanc caedem fieri debuisse [162]); quod si jam illud memoria repetimus, quod superius (cf. not. 119) vidimus eodem loco posteriori aetate sacra nocturna facta, quorum maxima similitudo esset cum iis quae Coloni apud Oedipi sepulcrum obtinuisse Sophocli credimus, vix procul a vero aberrare nobis videbimur, ubi has quoque in veterum victimarum humanarum locum successisse conjecerimus, totamque Oedipi fabulam, quo omnia quae

---

160) *Σκληρᾶς ἀοιδοῦ δασμὸν*, Soph. Oed. Tyr. v. 36.

161) Satis antiquam famam ostendunt versus ex Oedipodea cyclica apud Schol. Phoen. v. 1748:

ἀλλ' ἔτι κάλλιστόν τε καὶ ἱμεροέστατον ἄλλων
παῖδε φίλον Κρείοντος ἀμύμονος Αἵμονα δῖον,

unde et Apollodorus et personatus Pisander sua habuisse videntur.

162) Eurip. Phoeniss. v. 938 sqq.; cf. Stat. Theb. X. 607 et Philostr. Imagg. I. 4.

hactenus disputata sunt unice direximus, earum generi addiderimus, quas quamvis varia specie summaque ceremoniarum diversitate eundem omnes transitum ex prisca immanitate ad mitiores sacrorum formas significare aut antiquitus traditum aut nostris temporibus intellectum est. Quarum satis magnum numerum fuisse vel ea docebunt exempla, quae Wachsmuthius hunc in finem adhibuit [163]), quibusque tot alia cum summa probabilitate addere licebit [164]), ut inde demum appareat, quam late olim hostiarum humanarum usum per totam Graeciam patuisse consentaneum sit; nos tamen, ne longius a proposito abstrahamur, in duorum tantum comparatione subsistemus, quae non solum ipsam nefandorum sacrorum abolitionem, de qua inter omnes constat, testantur, verum etiam majore aliqua similitudine ad Oedipi res accedant iisque vel in singulis ita illustrandis inserviant, ut

---

163) Hell. Alterth. T. II, P. 2, p. 226.

164) Schwenck Mythol. Skizzen p. 111: *die Spur von Menschenopfern dürfte bei der Artemis ἀπαγχομένη und ἀσπαλίς zu finden seyn ... diese Geschichte trägt die Spuren abgeschaffter Menschenopfer, gerade wie die Geifselung der Knaben am Altare der Artemis zu Sparta.* Uschold Gesch. d. trojan. Kriegs (Stuttg. 1836. 8) de ceto, cui Hesione Laomedontis filia objecta est, p. 50: *wir sind der Ueberzeugung, dafs dieses See-Ungeheuer ein Dämon der Teukrer gewesen sey, dem, wie dem Minotauros auf Kreta, Menschenopfer dargebracht wurden, bis Herakles auch hier diese barbarische Sitte abschaffte;* et de tauro sive Cretico sive Marathonio p. 229: *wir sind der Ueberzeugung, dafs dieser Stier von dem berüchtigten Minotaurus, dem Menschen geopfert wurden, nicht verschieden sey, und beziehen die Sage von seiner Gefangennehmung, so wie auch jene von den Pferden des thrakischen Königs Diomedes auf die Abschaffung der Menschenopfer, wovon wir bereits gesprochen haben.* Mythogr. II, p. 58 ed. Bode: *Palici sunt dicti quasi iterum venientes; hi primum humanis hostiis placabantur; postea quibusdam sacris mitigati sunt et eorum immutata sacrificia.*

etiam si quid in his poëtarum licentia obscuratum vel omissum sit, illinc suppleri vel in justam suam lucem restitui possit. Et primum quidem Thesei exemplo utemur, cujus quum ossa pariter atque Oedipi inter tutelas Athenarum sancte culta esse constet [165]), ejusdem in hominum immolatione tollenda merita Minotauri caedes satis clare indicat [166]); neque in his tantum rebus Oedipi simillimus exstitit, qui eodem modo caeso monstro biformi patriam ab atrocissimo tributo liberasse fertur, sed etiam patri mortem aliqua sua culpa attulit [167]) vitamque in exsilio finivit [168]), quae utut in singulis diversam ab Oedipi fortuna speciem praebeant, illud certe utrique commune est, quod videmus homines, qui

---

165) Utrumque conjungit Aeneas Gazaeus in Theophr. p. 72 Barth.: *ἀκούεις τὸν Οἰδίπουν ὡς ἐν Κολωνῷ κείμενος ἐν σκύρῳ* (Lobeck. Aglaoph. p. 280 corrigit *ἐν χαιρῷ*, propter Aristid. de Quatuorv. T. II, p. 230; possis etiam *ἐν ἐχυρῷ*) *κεῖσθαι τοῖς Ἀθηναίοις ἐδόκει; λέγεται δὲ Ἀθηναίοις, ἐπειδὴ ἐνόσουν, τὸν Ἀπόλλω χρῆσαι, Θησέα τὸν Αἰγέως ἐπὶ τὰς Ἀθήνας μεταβιβάζειν . . . ὑπειπόντα οὐκ εἶναι τῶν παθημάτων λύσιν, πρὶν ἂν τοῖς Ἀθηναίοις κατατεθνηκὼς ὁ Θησεὺς συνοικισθείη, ἅμα τε τῆς Ἀττικῆς τοῦ Θησέως τὸ λειπόμενον ἐπέβη καὶ ὁ λοιμὸς οὐκ ἔτι ἦν*: neque illud negligendum est quod idem tertium his addit Orestem, cujus ossa pariter Lacedaemonii Tegea Spartam retulisse dicebantur (Herod. I. 68), quemque duobus illis quam maxime cognatum in hac ipsa causa proxime intelligemus; cf. Müller. ad Eumen. p. 172.

166) Creuzeri Symb. T. IV, p. 346: *denn in Theseus Mythen liegt doch wohl auch das Factum, dafs die Athener stierköpfigen Götterbildern Kinder opfern mufsten, und dafs Theseus diesen Dienst aufhob; auch in diesem Sinne war er ein Nachfolger des Herakles, der einst auch die Menschen dem Opfermesser entzogen hatte, s. oben Th. II, S. 255 u. 834.*

167) Diodor. Sic. IV. 61; Plut. V. Thes. c. 21; Pausan. I. 22. 5.

168) Diodor. IV. 63: *Θησεὺς δὲ μετὰ ταῦτα καταστασιασθεὶς καὶ φυγὼν ἐκ τῆς πατρίδος ἐπὶ τῆς ξένης ἐτελεύτησεν· οἱ δὲ Ἀθηναῖοι μεταμεληθέντες τά τε ὀστᾶ μετήνεγκαν, καὶ τίμαις ἰσοθέοις ἐτίμησαν αὐτόν*: cf. Plut. l. c. c. 34 et Pausan. I. 17. 6, ubi illud imprimis animadvertendum est, quod hoc ejus exsilium cum descensu in Orcum proxime conjungitur, cujus itidem monumenta Coloni exstabant, cf. not. 37; nos tamen has similitudines indicasse contenti a Thesei fabulis explicandis nunc quidem abstinebimus.

semel deorum irae placandae destinati et devoti fuerint, etiam si mutata rerum conditione extrema fata effugerint suaque salute simul etiam reliquorum metui finem imposuerint, ipsos tamen tanquam piaculares multiplici infortunio vexari et quasi ipsa sua vita eas labores et miserias exhaurire, quibus a patria amoliendis antea mori debuissent, ac si nihilominus Theseum nec Furiarum persecutione conflictari neque omnino tantam malorum atrocitatem experiri legimus, quantam Oedipo vetus fama tribuit, ea tantum causa esse potest, quod illius fabula tam mature, ut videtur, cum Apollinaribus sacris coaluit, ut omnem horum humanitatem et velut temperantiam in se reciperet [169]), Oedipi vero memoria, quamvis mitigatis ad Apollinarium exemplum ritibus, cum terrestrium semper numinum cultu horrendisque inferorum religionibus conjuncta fuit. Id enim si quid aliud recte nuper propositum amplectimur discrimen inter ceremonias hilasticas et catharticas [170]), quarum alteras ad placandam deorum iram quacunque de causa metuendam, alteras ad scelera potius humana expurganda pertinere clarum est, ut posterius genus ad Apollinem potissimum referamus, unde omnino novam speciem Graecorum religiones accepisse constat [171]), prioris autem ceremonias

169) Cf. Müller. Dor. T. I, p. 239 sqq.

170) Cf. Müller. ad Aeschyl. Eumen. p. 147 sq.

171) Cf. sup. not. 120 et Göttling. ad Hesiod. p. XXIII: *sed postea tribus his aetatibus adjecta est quarta, cujus princeps est Apollo, rex vere ethicus et ut ita dicam aesymnetes, quum Juppiter antiquus heroici temporis rex esse videatur* etc.

plerasque ex inferorum cultu viriumque naturalium horrore repetamus, quem etsi consentaneum fuerit paulatim ingruentibus honestatis sensibus conscientiaeque vi adaucta ad criminum maxime vindictam et impietatis poenas traduci, tamen et his necesse erat eundem cum legibus naturae rigorem immutabilem tribui nec tam causas facinorum quam speciem expendi [172]), et semper aliquid formidinis manebat, quod homines a deorum congressu absterreret magis quam ut ad Apollinem fieri videmus invitaret; fabulae autem cum his religionibus conjunctae tantum aberat ut una cum ritibus ad mitiorem formam redigerentur, ut nunc demum flagitiis ad miseriam adjectis omni atrocitatis genere abundarent, atque ita tantum quasi satisfieri invidiae divinae videretur, ut in uno aliquo capite sibi devoto desaeviisse crederetur, cujus deinde fortuna irati simul et placati numinis monumenta contineret. Hoc igitur Oedipo cum Oreste potius commune est, quem et ipsum sacrificio destinatum cum ipso cruenti numinis signo aufugisse tradebant [173]), eundem autem cum Furiarum

172) Huc pertinet quod Blümnerus (über die Idee des Schicksals p. 138) ex Bouterwekii comm. de justitia fabulosa (in Comm. rec. Soc. Gott. T. II, 1811 — 13) attulit: *Die Griechen glaubten an keine göttliche Gerechtigkeit, die unmittelbar in der persönlichen Weisheit und Güte eines ihrer Götter gegründet gewesen wäre; sie glaubten an ein ewiges Gesetz der Gerechtigkeit, das gleich den Naturgesetzen in der ewigen Natur herrsche, aus welcher die Götter und Menschen entsprungen wären*; cf. Welcker. Aeschyl. Tril. p. 447: *so ist die Gewalt der Mutterflüche in der Natur selbst begründet, und die Erinyen, welche das Gesetz aufstellen, dafs kein verwandtes Blut vergossen werden soll, gehören zum alten Götterstamm.*

173) Nota res vel ex Hygino Fab. CXX et Servio ad Aeneid. II. 116, ut mittam Tzetzem ad Lycophr. v. 1374, qui fabulas Atticas alieno loco immiscuit; licet enim fuerint qui expiatum demum

cultu arctissime cohaesisse non Athenarum modo verum etiam antiquioribus Peloponnesi religionibus apparet [174]), neu quis aut ipsum aut Dianam Tauricam, quam secum abstulisse ferebatur, a Chthoniis sacris sejungat, Furiasque piaculi tantum ulciscendi causa, cujus Homerus certe ne meminit quidem [175]), admixtas censeat, et Troezenias fabulas comparet, quarum superius inter tellustria numina enarranda mentionem fecimus (cf. not. 55), et Megaricas, unde Iphigeniam, quod ipsius Dianae cognomen fuisse vix quisquam amplius negabit [176]), eandem cum Hecate haberi

---

Tauros venisse traderent, plurima tamen fama erat, post reditum demum sive Troezene sive Rhegii, quo ipsum Dianae signum secum attulisset, lustratum esse; cf. Fr. Gu. Schneidewini Diana Phacelitis et Orestes (Gott. 1832. 8) p. 9 sqq. Ceterum neque illud negligendum est, quod etiam puerum Orestem, quum ab Aegistho et Clytaemnestra ad necem quaereretur, ab Electra sorore servatum esse audimus, quod etsi poëtarum in manibus omnem fabulae speciem amiserit, in tanta rerum mythicarum admixtione, quum et Electram pariter atque Iphigeniam in dearum potius quam hominum numero habendam esse constet (Schwenck Mythol. Sk. p. 26) et Orestes ipse vix simplicis viri indolem prae se ferat (Uschold Gesch. d. trojan. Kriegs p. 182), haud scio an his jam manifestam vim symbolicam tribuere liceat, ut victima propitio quodam numine servata, eodem modo quo Oedipus Sicyone Eumenidum sede, ita Orestes apud Phocenses in Apollinis Delphici vicinia latuerit, donec ipsa dei voce ad piaculum committendum excitaretur.

174) Cf. Pausan. VII. 25. 4: *ἐν Κερυνείᾳ δέ ἐστιν ἱερὸν Εὐμενίδων· ἱδρύσασθαι δὲ αὐτὸ Ὀρέστην λέγουσιν*: et VIII. 34. 2: *τούτῳ δέ ἐστιν ἕτερον συνεχὲς χωρίον Ἄκη καλούμενον, ὅτι ἐγένετο ἐν αὐτῷ τῆς νόσου τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἴαματα· πεποίηται δὲ Εὐμενίσι καὶ αὐτόθι ἱερὸν . . . Πελοποννησίων δὲ οἱ τὰ ἀρχαῖα μνημονεύοντες πρότερα τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἀρκαδίᾳ γενέσθαι φασὶν ὑπὸ Ἐρινύων τῶν Κλυταιμνήστρας ἢ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τὴν κρίσιν κ. τ. λ.*

175) Cf. Odyss. I. 30 sqq. et III. 306 sqq., ubi quod Nitzschius (erkl. Anmerk. T. I, p. 204) et Westrik (de Aeschyli Choëphoris, L. B. 1826. 8, p. 48) in verbis *μητρὸς στυγερῆς* matricidii vestigia invenire sibi videntur, etiam sua sibi manu Clytaemnestra mortem conscivisse poterat.

176) Cf. Müller Dorier T. I, p. 383: *denn es läſst sich sehr evident zeigen, daſs die angebliche Tochter Agamemnon's Iphigeneia nichts als jene Taurische Göttinn ist, wie man diese in mehreren Städten Griechenlands unter dem Namen Ἰφιγένεια verehrte etc.*

posse prodit [177]); quod si jam ea fabulae Oresteae pars, quae ad Iphigeniae raptum Dianiique simulacri furtum pertinet, manifesta sublatarum victimarum humanarum argumenta prae se fert [178]), alteram quoque, quae propius ad Oedipi similitudinem accedit, eodem referre licebit, ut statuamus nulla de causa magis Oedipum et Orestem easdem deas primum tanquam Erinyas hoc est Furias, deinde tanquam Eumenides hoc est Propitias expertos esse dici [179]), quam quia ex utriusque memoria, quamvis pro singularum gentium ingeniis quodammodo diversa, communis tamen recordatio sacrorum ex vetere illa crudelitate ad mitiorem formam conversorum pependerit, quae licet reverentiam tristibus numinibus debitam neutiquam minueret nec placandorum eorum necessitatem tolleret, salutem tamen neminis amplius nisi impii

177) Pausan. I. 43. 1: *λέγουσι δὲ εἶναι Ἰφιγενείας ἡρῷον, ἀποθανεῖν γὰρ καὶ ταύτην ἐν Μεγάροις . . . οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι*: quae tantum abest ut, quod Pausanias putasse videtur, inter se contradicant, ut ipsum illud numen, quod inferiis colebant, Hecatae in Iphigeniae nomen traductae fuisse certum sit; inferias enim etiam diis inferis oblatas ejusdem locus ostendit VIII. 34. 2: *καὶ οὕτω ταῖς μὲν ἐνήγισεν ἀποτρέπων τὸ μήνιμα αὐτῶν*, neque omnino nihil illic inferis tributum esse Adrasti honores probant, quem ipsi Furiarum cultui junctum superius not. 26 et 88 vidimus.

178) Paus. III. 16. 6: *τὸ δὲ χωρίον τὸ ἐπονομαζόμενον Λιμναῖον Ὀρθίας ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος, τὸ ξόανον δὲ ἐκεῖνο εἶναι λέγουσιν, ὅ ποτε καὶ Ὀρέστης καὶ Ἰφιγένεια ἐκ τῆς Ταυρικῆς ἐκκλέπτουσι . . . θυομένου δὲ ὄντινα ὁ κλῆρος ἀπελάμβανε, Λυκοῦργος μετέβαλεν ἐς τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας, ἐμπίπλαταί τε οὕτως ἀνθρώπων αἵματι ὁ βωμός*: cf. Sexti Emp. Hyp. Pyrrh. III. 208 et Mythogr. Bod. I. 173, p. 53.

179) Cf. Müllerum ad Eumen. p. 172 et 176, cujus tamen ipsius explicatio haud scio an poëtarum potius aut philosophorum ingenia quam inculti aevi, cui hae fabulae debentur, simplicitatem deceat, licet aliquem ejus sensum etiam priscis religionibus subesse haud negarim.

stam fore testaretur eoque facto metum fiducia et quadam ılae persuasione verteret. Nominis certe mutationem etiam in ıs religionibus eandem vim habuisse et Palicorum exemplum ıcet, quorum ara mitigatis ritibus placabilis appellata esse tratur [180]), et *μειλιχίου* cognomen, quod in Jove pariter ac Libero atre *λαφυστίῳ* et *ὠμηστῇ* oppositum fuisse videtur [181]), neque n iis, quae de ipso Oreste Arcades narrabant, harum rerum vestigia desunt, si quidem digito demum abscisso Furias pro atris candidas habuisse dicebatur [182]), ut mittam Troezene prope ipsum locum, ubi illum lustratum esse fama erat, Bacchi *Σαώτου* aram exstitisse, cujus cognomen a salute ductum idem est quod Jovis, quem Thespienses propter sublatas victimas humanas consecraverant [183]); tragicorum autem commenta, quibus recentiorum quoque plerique inducti sunt, ut totam illam Erinyum conversionem ad caedis tantum ultionem referrent, quam juniorum

---

180) Cf. Mythogr. Bod. II, p. 58 sup. not. 164 extr. laudatum.

181) Cf. Creuzeri Symb. T. III, p. 334 et Müllerum ad Eumen. p. 139, quibus illud tantum addam, sive Xenophonti credamus (Anab. VII. 8. 4) Jovi Milichio integras hostias cremari patrium fuisse, simile sacrificium apud Schol. Oedip. Colon. v. 42 Orestae tribui *ὁλοκαυτώσαντι αὐταῖς* (Furiis) *ὄϊν μέλαιναν ἐν Καρνίᾳ τῆς Πελοποννησίας*, sive Thucydidi fidem habeamus, qui (I. 126) liba tantum illi pro hostiis oblata esse tradit, haud procul abesse *ἀπύρους* illas *ἱερουργίας*, quas Thebis fieri vidimus not. 119; praeterea autem insignissimum est exemplum fluvii, quem Pausan. VII. 19. 3 eadem de causa *Ἀμειλίχου* nomen in *Μείλιχον* mutasse tradit.

182) Paus. VIII. 34. 2: *ταύτας τὰς θεὰς, ἡνίκα τὸν Ὀρέστην ἔκφρονα ἔμελλον ποιήσειν, φασὶν αὐτῷ φανῆναι μελαίνας, ὡς δὲ ἀπέφαγε τὸν δάκτυλον, τὰς δὲ αὖθις δοκεῖν οἱ λευκὰς, καὶ αὐτὸν σωφρονῆσαί τε ἐπὶ τῇ θέᾳ κ. τ. λ.*

183) Paus. II. 31. 8 et IX. 26. 5; cf. sup. not. 55 et 158.

deorum aequitas ab antiquiorum severitate vindicatam ad humaniora instituta traduxisset [184]), eam tantum vim habere possunt, ut quae modo exposuimus aliarum religionum, imprimis Doricarum, quibus Apollinem peculiarem fuisse constat, auctoritate et exemplo facta esse intelligamus, fere ut Gelonem Syracusarum tyrannum Punicorum sacrorum immanitati finem imposuisse legimus [185]). Quanquam ne Orestae quidem omnes Apollinem salutis auctorem tribuunt [186]), Oedipi autem in fabula quod agit, ut exsulem Athenas ad Eumenidum fanum mittat, non ita comparatum est, ut non posterius demum inseri potuerit, praesertim quum Cadmeae gentis interitus, quo et hanc fabulam et religiones cum ea conjunctas in Atticam pervenisse superius suspi-

---

184) Sic Böttigerus (die Furienmaske, Weimar 1801. 8, p. 104: *nun bekommt aber das am frühesten polizeiliche Athen zuerst förmliche Blutrichter durch die Stiftung des uralten Areopagus; die blofsen Blutsühnungen gelten nicht mehr, und die Zürnenden werden im schönen attischen Euphemismus die Versühnten)*, Blümnerus (über die Idee des Schicksals p. 81), Kampius (Erinyes p. 49: *est profecto magnum, ut homines non omnem caedem sanguine expiandam esse intelligant, utque in ultione non magis rem quam causam rei spectent; hoc autem censeo in illa Orestae fabula expressum esse)*, Welckerus (Aeschyl. Trilogie p. 369) etc. Alii etiam levius per euphemismum tantum *placidas* appellatas volunt, qui potius *furibundae* essent, ut Vossius (ad Virg. Georg. I. 278: *die Griechen, aus Scheu vor unglücklichen Worten, fafsten die mildernde Benennung auf)* et Conzius (Museum für die griech. u. röm. Literatur St. II, p. 113), sed hi omnino fabulas poëtarum tantum respexerunt, non veterem locorum memoriam, quae in hac quaestione ut in omni mythologia summum est.

185) Cf. Göller. de situ Syracus. p. 232 sq.

186) Cf. imprimis Schol. Eurip. Orest. v. 1640: *ὁ δὲ Φερεκύδης, ὅτι καὶ ἔπειτα τὸν Ὀρέστην οἱ Ἐρινύες διώκουσιν, ὁ δὲ καταφεύγει εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος καὶ ἵζει ἱκέτης πρὸς τῷ βωμῷ, αἱ δὲ Ἐρινύες ἔρχονται ἐπ' αὐτὸν θέλουσαι ἀποκτεῖναι, καὶ ἐρύκει αὐτὰς ἡ Ἄρτεμις, ἐξ οὗ καὶ ἡ πόλις αὕτη Ὀρέστειον καλεῖται ἀπὸ Ὀρέστου.*

cati sumus (cf. not. 113), vel Orestae aetatem vel Doriensium vim in Graecorum rebus satis antecedat, neque omnino aut temporum rationes aut veteris memoriae vestigia permittunt, ut in Eumenidum indole existimanda minorem Oedipi quam Orestae rationem habeamus; quem etsi Aeschylus evicerit ut plerique illius mutationis causam atque auctorem ferrent [187]), dudum observatum est Oedipum paene integro seculo antiquiorem esse [188]), tantumque abest ut Eumenidum nomen vel illius fabulae vel Athenarum urbis peculiare sit, ut easdem quas Sicyonios Eumenidas, Athenienses potius *Σεμνὰς* appellasse audiamus [189]), quo ipso nomine prope Areopagum fanum habuerunt [190]), dumque Sophocles Coloniatarum religiones secutus, quas Thebis allatas videri diximus, solemnem Eumenidum appellationem identidem jactat [191]), Aeschylum, qui urbica magis sacra spectat [192]),

---

187) Sic ut alios mittam Harpocratio p. 132: *Αἰσχύλος ἐν Εὐμενίσιν εἰπὼν τὰ παρὰ τὴν κρίσιν τὴν Ὀρέστου φησὶν ὡς ἡ Ἀθηνᾶ πραΰνασα τὰς Ἐρινύας ὥστε μὴ χαλεπῶς ἔχειν πρὸς τὸν Ὀρέστην, Εὐμενίδας ὠνόμασε*, et ipsius Sophoclis interpres ad Oed. Col. v. 42.

188) Cf. Bachet de Meziriac comm. sur les Epistres d'Ovide (à la Haye 1716. 8) T. II, p. 207 et Blümnerus l. c. p. 126.

189) Cf. Paus. II. 11. 4 sup. not. 87 laudatum, unde fortasse etiam lucem accipit quod Schol. Oedip. Colon. v. 42 narrat Philemonem comicum *τὰς σεμνὰς θεὰς* ab Eumenidibus distinxisse; Boettigerum certe apparet egregie errasse, qui loco not. 184 laudato pro explorato affirmat Eumenidum nomen Athenis ortum esse, nec Müllerum caute egisse dixerim, qui ad Eumen. p. 177: *die Verwandlung der Erinyen in die Eumeniden*, inquit, *gehörte in Griechenland wesentlich* zur *Orestes-Sage*.

190) Paus. I. 28. 6; cf. not. 17 et 85.

191) Cf. Oedip. Col. v. 42: *τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας ὅ γ' ἐνθάδ' ὢν*
εἴποι λεώς νιν, ἄλλα δ' ἀλλαχοῦ καλά:
et v. 487. De discrimine fabularum in pagis ab urbicis insigne testimonium est Paus. I. 19. 6.

192) Cf. Welcker. Aeschyl. Tril. p. 450.

si a titulo fabulae discesseris, ea prorsus abstinere videmus [193]; quod si nihilominus utrumque genus adeo confusum videmus, ut et Oedipus locum in fano urbico (cf. not. 85) et Orestes in Eumenidum sacris Peloponnesiis acceperit (cf. not. 174), similitudinis causa non in caedis judicio, quod Oresteae fabulae proprium est, sed in ea ceremoniarum vicissitudine quaerenda erit, cujus utraque pariter argumenta satis clara contineat. Neque enim, ut jam unde progressa est oratio redeat, vel missis quibus hactenus usi sumus exemplis, longa disputatione opus est ad demonstrandum, quanta priscae superstitionis vestigia in ipsa Oedipi fabula lateant; quem quod recens natum in Cithaerone monte expositum esse narrant, ad infantium victimas diis inferis oblatas eo fidentius referimus, quo significantius est eundem montem, quem sibi Oedipus tanquam peculiarem vindicare videtur [194], et Furiarum sedem dici [195] et Sphingem, cujus vim satis superius exposuimus, indidem venisse tradi [196], neque

---

193) Cf. Müller. ad Eumen. p. 176: *daher auch Aeschylus, der sie mit Nachdruck σεμναὶ nennt* (361, *besonders* 993), *den seinem Gegenstande so nahe liegenden Namen der Eumeniden nie erwähnt, sondern die milde Seite der Gottheiten besonders durch εὔφρονες* (946. 984) *zu bezeichnen sucht;* quo tamen ipso jam apparet causam non fuisse cur Reisigius (Enarr. Oed. Colon. p. XXXV) ex Sophoclis quoque fabula Eumenidum nomen eliminare conaretur.

194) *Οὑμὸς Κιθαιρὼν οὗτος*, Soph. Oed. Tyr. v. 1452; cf. v. 1391 sqq.

195) Hermesianax apud Ps. Plutarch. de fluviis II. 3: *Κιθαιρὼν μὲν διὰ τὴν ἀσέβειαν Ἐρινύων μῦθος* (Wyttenb. conj. *μυχὸς*), *Ἑλικὼν δὲ διὰ φιλοστοργίαν Μουσῶν ἐνδιαίτημα*: cf. Müller ad Eumen. p. 170.

196) Schol. Eurip. Phoen. v. 813: *οὔρειον τέρας ἄγριον, ἢ ἴσως ἐπειδὴ ἐν Κιθαιρῶνι ἐτρέφετο τῷ ὄρει, οὔρειον τέρας αὐτήν φησι κ. τ. λ.*

illud nos deterret, quod unius tantum pueri illuc projecti memoria exstat, si quidem et aliis in locis vicinis plurium mentionem fieri vidimus et eadem causa est quae Thespiis, ubi eorum tantum nomina Pausanias servata esse narrat, quorum opera malum sublatum fuerit [197]), ut omittam appellationem, quam a confossis talis ductam esse constat [198]), omnibus communem esse potuisse, qui ad eandem sortem detruderentur; quod autem idem ab ejus civitatis rege servatus, ubi primum Furiae in Propitiarum nomen transierant (cf. not. 86 et 189), mox Sphingem exstinguit patriamque gravi tributo liberat, non video quomodo commodius explicari possit, quam ut Thebanos statuamus aliquando vicinorum exemplo motos ad humanitatis conscientiam pervenisse [199]) abrogatisque immanibus ritibus eorum in locum incruentas inferias substituisse, quales et Thebis ad fontem Dircaeum (cf. not. 119) et Coloni fieri videmus [200]); eodemque

---

197) Paus. IX. 26. 5: *τῶν μὲν δὴ διαφθαρέντων μνημονεύειν τὰ ὀνόματα οὔ φασιν, ἐπὶ δὲ Κλεοστράτῳ λαχόντι τὸν ἐραστὴν αὐτοῦ Μενέστρατον λέγουσιν ἐπιτεχνήσασθαι κ. τ. λ.*

198) Eustath. ad Odyss. *Λ*, v. 270: *ὁ δὲ Οἰδίπους καὶ Οἰδιπόδης λέγεται ποιητικῶς, κληθεὶς οὕτω διὰ τὸ οἴδημα, ὃ ἔπαθε τρυπηθεὶς τοὺς ἀστραγάλους τῶν ποδῶν, ὅτε βρέφος ὢν ἐξετέθη κ. τ. λ.*

199) Huc, ni fallor, etiam illud spectat, quod ei potissimum Sphingem cedere videmus, qui primus *hominis naturam*, quae eousque sub aenigmatis integumento quasi latuisset, intellexerit atque enarrarit; quod ut concedam apud tragicos etiam alio converti posse (cf. Schlegel's Vorles. üb. dramat. Lit. T. I, p. 179 et Ulrici Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. I, p. 60), simplicissima tamen fabulae potestas ea fuisse videtur, ut crudeles mores humanitatis sensu victos esse significaret.

200) Soph. Oed. Col. v. 470 sqq.

ducunt patria illa Aegidarum sacra, quos quum eo potissimum consilio Laji atque Oedipi Manes placasse legamus, ut liberorum sibi proles succederet [201]), haud temere nobis colligere videmur, omnes illas fabulas, quibus Cadmeorum domus regiae abundant, ceremoniarum placandis diis inferis generisque saluti et diuturnitati ab eorum invidia tuendae institutarum memoriam continere. Et Thebis quidem in tanta rerum omnium conversione, quanta jam ante Heraclidarum reditum facta esse dicitur, praeter unas illas inferias Dircaeas nihil horum sacrorum, quae varia variis in locis fuisse videntur, aetatem tulit, quo tamen ne quis moveatur, ut ea unquam exstitisse neget, nulla magis de causa Oedipum Coloneum Thebanis infestum visum esse suspicamur, quam quia Eumenidum cultum intermisissent Manesque suos debitis honoribus, quorum apud Homerum etiam vestigia exstant [202]), prosequi desiissent; Coloniatarum autem religionibus ut eandem sententiam vindicemus, quam modo priscis Cad-

201) Cf. Herodoti locum sup. not. 83 laudatum, quocum cohaerent quae Pausanias narrat IX. 5. 8: *τῶν δὲ Ἐρινύων τῶν Λαΐου καὶ Οἰδίποδος Τισαμενῷ μὲν οὐκ ἐγένετο μήνιμα, Αὐτεσίωνι δὲ τῷ Τισαμενοῦ, ὥστε καὶ παρὰ τοὺς Δωριέας μετῴκησε τοῦ θεοῦ χρήσαντος κ. τ. λ.*

202) Ludos Oedipi funebres Thebis celebratos commemorat Iliad. XXIII. 679, quos si statuimus etiam equorum certamina adjuncta habuisse, qualia in vicinia Onchesti ad Neptuni fanum exstitisse constat (Müller. Orchom. p. 84), simul etiam explicabitur quomodo Colonus, nova religionum Oedipodearum sedes, Equestris nomen accipere potuerit, siquidem Cadmeos et illa secum huc transferre consentaneum erat, praesertim si Phoenices origine fuerunt, quos omnino sunt qui primos equos in Graeciam advexisse censeant, cf. Böttigeri Amalthea T. II, p. 316.

meis tribuimus, praeter universam similitudinem et cognationem, quam satis superius persecuti sumus, duobus potissimum argumentis utimur, primo quod Oedipum Sophocleum vivum et volentem integrae vitae humanae miseriis perfunctum cum summo deorum favore eodem descendere videmus, quo nemo praeterea nisi invitus iratisque diis appropinquare soleat [203]), altero quod Adrastum ibi equos suos inhibuisse volebant (cf. not. 28), quem si veri simillimum est ipsam Furiarum vim inevitabilem significare, jam mitigato harum numine et ipsum conquiescere necesse erat; totamque jam disputationis nostrae summam ita comprehendimus, ut statuamus Cadmeorum coloniam veterem Chthoniorum deorum cultum secum ferentem in Atticam pervenisse, ibique reperto loco, ubi aliquem cum inferis commeatum patere ipsa natura suaderet (cf. not. 37), sedem et sibi et ceremoniis suis cepisse, quae tamen quum jam antea in mitiorem illam formam transiissent, qua etiam Eteoni in Boeotia Ceres Oedipum templo suo recepisse credebatur (cf. not. 11), illic saltem statim ab initio non Erinyum sed Eumenidum nomen prae se tulerint. Id vero Atheniensibus eo acceptius accidere debebat, quo faustius omen erat quoque magis ipsi fortasse dudum illius loci numen extimuerant,

---

203) Obiter moneo multarum fabularum, quae ad sacrificia humana sublata spectare videantur, eam indolem esse, ut qui extremus longae miseriarum seriei finem imponat, nec sorte ductus neque aliqua necessitate coactus sed sua sponte discrimen subeat vel sua sibi manu mortem afferat. Sic ut alios mittam Menestratus ille apud Pausaniam IX. 26. 5 ultro ejus quem sors designavit vices suscipit, sic Theseus apud Plutarchum c. 16 ἐπέδωκεν ἑαυτὸν ἄνευ κλήρου

nec dubitamus quin recte Sophocles tradiderit (cf. not. 118) ab ea certe aetate, qua Theseus omnes Atticae incolas unius civitatis vinculo comprehendisse traditur, principem rei publicae id muneris habuisse, ut numina Coloni, quae simul etiam Athenarum urbem a Boeotiae parte tueri viderentur, justis inferiis placaret, quas deinde, quum Eumenides ex Manium loco in deorum numerum transiissent, quibus sacra potius fieri deberent[204]), eodem pacto quo Thebis ad Dircen fieri vidimus, ad unius Oedipi nomen et sepulcrum tanquam argumentum et pignus pacis divinae translatas esse censemus; Welckeri autem sententia [205]), quae jam iis quae superius de Eumenidum patria et Oreste disseruimus satis refutatur, tantum abest ut Aeschylum demum harum ceremoniarum condendarum auctorem exstitisse nobis persuadeat, ut ab eo inde tempore coeptum esse suspicemur, quod Sophoclem ad Oedipum Coloneum scribendam movisse nuper conjecimus, ut sacra Furia-

---

προςελθών, neque Curtii Romani apud Livium VII. 6 aliam significationem esse arbitror, quam Hartungius l. c. T. I, p. 52 non satis percepit.

204) Hoc certe suadet Pausaniae locus VIII. 34. 2, quem ad similem Furiarum mutationem spectare superius not. 182 vidimus: *ταῖς μὲν ἐνήγισεν ἀποτρέπων τὸ μήνιμα αὐτῶν, ταῖς δὲ ἔθυσε ταῖς λευκαῖς*, quo de discrimine v. Herod. II. 44.

205) Aeschyl. Tril. p. 369: *Wenige der auswärtigen mythischen Personen ist Athen mehr berechtigt gewesen an sich zu reifsen und mit den eigenen Sagen in Verbindung zu setzen, als den Oedipus und den Orestes, da es seit sehr alter Zeit zur Entkräftung der Blutrache und der Flüche durch gerechtes Blutgericht genug beigetragen hatte, um rühmen zu dürfen, dafs auf seinem Boden mehr wie auf jedem andern die Erinyen zu Eumeniden geworden; Aeschylus hat an der Ausbildung und Befestigung dieser Vorstellungen grofsen Antheil, und es ist nicht unwahrscheinlich, dafs erst auf Anlafs seiner Tragödie der Bezirk der Eumeniden, von welchem Sophokles spricht, geweihet worden ist!*

rum pagana prae urbanis negligerentur, neque adeo repugnem, si quis hoc ipsum Sophocli, antiquo Aeschyli aemulo, propositum fuisse existimet, ut vetustiorum religionum auctoritatem a recentioribus fabulis, quas ille in Eumenidibus commendasset, vindicaret. Quanquam parum ei hoc consilium successisse et Pausaniae silentium docet, qui in Coloniatarum pago, etsi Oedipi meminit, Eumenidum fanum amplius non novit [206]), et Androtionis, quem aliis diis Oedipi supplicis tutelam tribuisse diximus (cf. not. 8), ut mittam grammaticos, quos nominis originem Aeschylum secutos uno ore omnes ab Oreste quamvis multo Oedipo juniore repetere vidimus (cf. not. 187); quae quum ita sint, ea quoque quae apud veteres passim de Eumenidum cultu Attico leguntur [207]), ad urbanas ceremonias refero; praesertim quum Σεμνῶν potius nomen in iis vigeat [208]), quo ipso superius (cf. not. 189) Furias Atticas ab iis distinximus, quas Sicyone Thebas atque inde demum Colonum translatas esse statuimus, neque illud decernere audemus, quod satis ceteroquin acute Corajus suspicatus est [209]),

206) Cf. sup. not. 3 et Thudichum l. c. p. 283, qui quod conjicit Oedipi sepulcrum, de quo Pausanias I. 28 loquitur (cf. not. 85), vastato Eumenidum fano Colonensi in urbem translatum esse, haud profecto absonum est.

207) Cf. Meurs. Lectt. Att. V. 32, Chr. Lud. Bossler de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus (Darmst. 1833. 4) p. 27, Müller ad Aesch. Eumen. p. 178 sqq.

208) Sic v. c. Demosth. adv. Mid. p. 552: *περιεῖδε δὲ ταῖς σεμναῖς θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον αὐτόν*: Polemo apud Schol. Oed. Colon. v. 479: *τῆς δὲ πομπῆς ταύτης Ἡσυχίδαι, ὃ δὴ γένος ἐστὶ περὶ τὰς σεμνὰς θεάς, τὴν ἡγεμονίαν ἔχει* etc.

209) In Mélanges de Litérature par Chardon de la Rochette T. I, p. 445 — 460.

arcanum illud testamentum, in quo Dinarchus civitatis salutem positam dicat [210]; nihil aliud esse nisi Oedipi illa mandata, quae moriturus Theseo injunxerit, nisi quis tunc demum Areopagi tutelae commissa esse censeat, quum ipsius Oedipi monumentum in fanum urbanum transferretur (cf. not. 206); cum Colono enim Areopago nihil rei est.

---

210) Cf. Dinarch. adv. Demosth. §. 9, ubi de Areopagi *συνεδρίῳ* inter alia et haec jactat: *ὃ φυλάττει τὰς ἀποῤῥήτους διαθήκας, ἐν αἷς τὰ τῆς πόλεως σωτήρια κεῖται*: rem in ambiguo relinquit etiam Lobeckius in Aglaoph. p. 965.





